

1^a
34897

num. 32. cass. 6. num. 43.

~~32 8 10~~



DIATRIBA.

EPISTOLARUM FASCICULUS,
quibus animi defæcandi gratia

INVICEM OLIM COLLUDEBANT

JOANNES DE MIRANDA ET OQUENDO,
Regio Hispalensi Fisco nunc recens præfetus,
Joannes Cid Suarez de Rivera Veterum Prudentiae
Salmantini Doctores,

ET


JOANNES GONZALIUS DE DIOS,
apud ipsos Salmantinos amœniorum Musarum
Primarius Antistes:

*Ex deta lib. oel. Dr. col. de la comp.
de Th. de Sat. A QUO*

NUNC DENUO COLLECTA PUBLICI JURIS
fiunt

SUB AUSPICIIS, ILL^{mi} D. D. ANDREÆ
Gonzalez de Barcia in Supremo Castellæ
Senatu Regii Consiliarii
& integerimi Patricii.

SALMANTICÆ, Ex Officina Typographica ANTONII
JOSEPHI VILLARGORDO. Anno 1737.



ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
D. ANDREAM
GONZALEZ DE BARCIA,
IN SUPREMO CASTELLÆ SENATU REGIUM
Consiliarium & integerimum Patricium
DOCT. D. JOANNES GONZALEZ DE DIOS,
bonarum literarum apud Salmantinos primarius
Professor, quamplurimum salvere.

Tsi non levi usquequaque indignatione, Vir scitissime, hominum quorumdam gereras autibus sensi, nostratibus vilissimam jam diu esse bonarum, ut ajunt, literarum curam, ac veluti communi nostræ gentis placito, damnatam Latinam suavitatem è sedibus Hispanicis paulatim aufugisse uno ferè ore exprobrantium; tamen non acerbius stomacho commoto exarsi donec & intercos vulgo quo-

* 2



quoque ferri animadvertisi, malignum hunc cometen influxu suo ne quidem amoenioribus Musarum hortis pepercisse, Salmanticae, inquam, nostrae. Et quidem liberiis in hos placebat inveniri nebulones, si quandoque sapere sperarentur. Unus hic tamen prodit Epistolarum fasciculus, quo interea falsitatis, ignorantiae, aut, siquid turpius est, publicè convincantur. Brevi numero tot tantaque abundantissimæ eruditionis mysteria pandunt; nitidissimo ita dicendi genere & pollut, & porrò valent, ut (si nostras exceperis) nihil aptius, nihil profligando superiori errori convenientius facile invenias. Authores habent DD. Mirandam, & Cidum Jureconsultos, sublimioris ac delicioris adeo mentis viros, ut vel conspectum eorum vulgaria quæque territa fugiant. Quidquid in hoc scribendi genere hactenus aut ab iis prodit, aut nunc etiam producere videmus, quamdam ita Romanorum redolent majestatem, ut his purissimis floribus assuetus nasus, cætera quæque velut allia fastidiat. Sanè non uno saeculo divina ferè hæc ingenia ornando orbi natura & præparat, & producit; nec nisi multo saeculorum sudore lampades hæc accenduntur orbi illuminando.

Cum

Cum ergo, impari mehercle virtute, potentissimi Philippi Regis nostri jussu, ita maximo suadente Senatu, amœnis Musis colendis primarius apud Salmantinos sim Sacerdos destinatus, magna quidem cura ac amicorum querundam usus operâ vix obtinui, ut tantilla hæc sapientissimorum DD. hujus generis scripta ad me pervenissent: quæ nihil secius apud me servantur, quam quæ Bibliothecæ nostræ ingentem quandoque paritura gloriæ existimem. Quin & gratius nihil me Musis ipsis fecisse unquam judico, quam optimè meritorum alumnorum labores, tantum non intra suorum Authorum crudelè modestiam perituros, asseruisse. Hinc in maiorem assurrexisse molem libellus hic neutquam potuit. Accuratiora ac pretiosiora quæ apud eos extant opera, avida mente salutamus, manibus contrectare non licuit; sollertissimè quippè, quam cæteri ferè mortales per avia quæque & invia ambient gloriæ, ii & sincerè detrectant, & planè fugiunt. Et, hec vereor, iratissimos mihi brevi futuros, qui quæ maximè vellent ignorari, tanquam familiaria & domestica, in publicum, ipsis misimus inconsultis! Atqui plus me gentis nostræ honori, quam terrori huic, alio-

alioqui justissimo , tribuere æquum est. Siquid
deinde tantorum virorum placitura indigna-
tione dignus extitero, obdurato me sciant animo
perlatutum. Dummodo scribere porrò pergent,
vel in me unum acutissimos calamos contor-
queant. Numquam sanè efficient, quin etiam
ipsorum iram (tantum scriptis constet) odiisse,
aut minus amare possimus. Denique libellum
hunc nomini tuo sacrum dixi, qui unus mis-
rabilis hujus sæculi mordacitatem possit cohi-
bere. Quo enim tuo , ac sapientum omnium
plausu illustrior evader , eo magis insipien-
tum vulgi invidiae patere necessum est. Ad hæc
hujus generis opellæ, si planè sentirent, etiam
nullo mandante, sinum tuum appeterent , ac in
illum libentissimè convolarent ; unus ferè quippè
restas , qui non placido tantum vultu , sed &
animo, sed & corde , mentium harum subli-
miorum nitidissimos partus & foves & faves.
Cæteri omnes , quos post exutam prisorum
sæculorum rusticitatem , politioris eruditio-
nis cura tangit , licet sub sæculo Hispaniæ nos-
træ felicissimo plurimi sint , gloriantur certè ,
ac , ubi hujusmodi opellas manu terunt , gentis
suæ largissimè honori plaudunt ; sed nihil re-
jovant : atque , etsi maximè , nutu tantum , cau-
olla

rum

rum authores in beatiorem atque honoratio-
rem vitam possint afferere , facilimè sub in-
gratissimo oblivionis pulvere marcere sinunt.
Tuis ergò auspiciis prodeat fasciculus hic , qui
illum grato , ut soles , vultu excipias , Hispano
honori plaudas , atque Authores suos , dum tibi
serum in cælum redditum votis expetunt , po-
tentissima protectione foveas. Salmanticæ ex
Musæo nostro Postridie Kal. Novemb. ann.
MDCCXXXVII.

Rmi.



JHS.
Rm. P. SALVATORIS OSSORIO;
Societat. Jesu Salmantine Academia
Doctoris Theologi Censura.

Commissum hunc à Regio Castellæ Senatu
Epistolarum Fasciculum à Magistro D.
Joanne Gonzalez de Dios pulchre collectum
evolvi, perlegi, sedulò recognovi: dumque
nostra cum priscis interdum contuli, similima
comparavi. Illud in hoc opere à Triumviris ex-
polito verissimum inspexi, quod in cunctis in-
solitum experiaris: vetustam scilicet Latini ser-
monis puritatem nostro tempori restituere: gra-
vitatem lepôri dare, stylum eloquentiæ, Hispa-
næ eruditioni in humanioribus literis vindic-
tam, quin & exteris Gentibus in scribendo nor-
mam. Hæc porrò, quæ viris aliàs aliò distentis
placuerunt otia, cuique satis gnaro videbuntur
studia. Gratulandum est itaque Salmantinæ
Academiæ, quòd tales tantosque Doctores
etiam nunc temporis creet, quibus vel otium
studium est: si ludus magnum est opus, quid
opus erit? Cum ergo nihil in eo à fide, erudi-
tione, elegantia, & sermonis nitore abhorreat,
typis & æternitati mandetur. E Regio Salman-
tino Collegio 6. Julii 1737.

Salvator Ossorius.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguél Fernandez Munilla, Secre-
tario de el Rei nuestro Señor, su Escriv-
ano de Camara mas antiguo, i de gobierno
de él; Certifíco, que por los Señores de él, se ha
concedido licencia al Doct. D. Juan Gonzalez
de Dios, del Gremio, i Claustro de la Univer-
sidad de Salamanca, su Cathedratico de Prima
de Humanidad, para que por una vez pue-
da imprimir, i vender un libro intitulado
Diatriba, Epistolarum Fasciculus, que dà à luz
dicho Doctor, con que la impression se haga
por el original que va rubricado, i firmado
al fin de mi firma; i que antes que se venda
se traiga al Consejo dicho libro impresso junto
con su original, i certificacion de el Corrector
de estar conformes, para que se tasse el precio à
que se ha de vender, guardando en la im-
pression lo dispuesto, i prevenido por las le-
yes, i pragmáticas de estos Reinos: i para que
conste, lo firmé. En Madrid à diez i ocho de
Julio de mil setecientos i treinta i siete.

Don Miguél Fernandez Munilla.

**

D.

D. HYACINTHI DE LA PEÑA ET VAZ-
quez Juris Cæfarei in Salmanticensi Academia
Doctoris, atque ejusdem facultatis Cathedra-
rum Candidati, Judicium.

ILLUSTRISSIMI nostræ Academiæ Cancel-
larii imperio obtemperans hunc Epistola-
rum Fasciculum censoria virga percurrentum
accepi. Imperio obtemperans dixi; equis enim
nisi, qui imperio cogeret, me ad istiusmodi
genus opera judicanda, vel invitum adduce-
ret? Novi ego ingenium meum quam sit exi-
guum; novi præterea tres viros hos facundissi-
mos, quos admirari potius, quam judicio cen-
sorio perlustrari decebat. Nihil ab his prodiit,
proditque in dies, quod veterum, recentiorumque eloquentiam non planè redoleat. Non
defuit, qui Salmantinæ Academiæ eos Chari-
tes, aut Gratias indigitaverit, bellissimè qui-
dem; quandoquidem sub triplici personarum
numero adeo arctè devinciantur, ut uno ge-
nio, uno numine, unoque nomine felicissi-
mo fato complexentur. Magna mihi (ut alia
trium virorum plurima omni literarum ge-
nere conscripta opuscula mittam) de eruditissi-
mis hisce Epistolis dicendi copia suppeteret,
si brevitati ubique studens munus mihi im-
positum non essem subiturus. Unum illud

præ-

præterire nefas duxi: qui ad eas legendas ani-
mum appulerit, Latinitatem sine fuko, Laco-
nismum sine obscuritate, lepores absque nu-
gis, sententias sine fastidio, germanam deni-
que eloquentiam reperiturum.

Præter hæc nihil in ipsis inveni religio-
ni, aut bonis moribus absconum, publicæve
utilitati contrarium. Sic censeo. Salmanticae
Idibus Septembbris anno 1737.

D. Hyacinthus de la Peña
et Vazquez.

LICENCIA DEL Sr. MAESTRE-ESCUELA.

NOS el Maestro Manuel Generelo, i Es-
pínola, de los Clerigos Menores, del
Gremio, i Claustro de la Universidad desta Ciú-
dad de Salamanca, su Cathedratico de Prima de
Sagrada Theologia jubilado, Decano, i Vice
Cancelario en ella por ausencia, i especial de-
legacion del Señor Proprietario, &c.

Por el presente damos licencia à qualquier
de los Impresores de esta Ciudad, para que
pueda imprimir un libro intitulado *Diatriba*,
Epistolarum Fasciculus, que dà à luz el Doct. D.
Juan Gonzalez de Dios, de dicho Gremio, i
Claustro, i Cathedratico de Prima de Humanida-
d desta Universidad, por quanto de nuestra

or-



orden está registrado , i aprobado , i no tener cosa mal sonante contra nuestra Santa Fè Catholica , i buenas costumbres , guardando las ordenes , i pragmaticas destos Reinos : i lo pueda hacer sin incurrir por ello en pena alguna. Dada en Salamanca à ocho de Octubre de mil se-
cientos i treinta i siete.

Emmanuel Vice Canc. Salman.

Por mandado de su Sra. el Sr. Vice Canc:
Manuél Muñoz de Castro.

T A S S A.

TASSARON los Señores del Real , i Su-
premo Consejo de Castilla este Libro
intitulado *Diatriba , Epistolarum Fasciculus* , que
dà à luz el Doct. D. Juan Gonzalez de Dios ,
à seis maravedis cada pliego en papel , como
consta de testimonio de Don Miguel Fernan-
dez Munilla , Secretario de su Magestad.

ERRATA CORRIGENDA.

PAG. 14. l. 1. *Videsis , si lubet , leg. Vi-*
de , si lubet. Reliqua dabit ultima pa-
gina. Quibus deintis , suo respondet exempla-
ri prelo mandatus Libellus , cui titulus , *Diatriba* , Sc. Matriti anno D. 1737. Kal. Sept.

L. D. Emmanuel Garcia Alesson.
C. M. Gener. Corrector.

JOAN-

JOANNES MIRANDA f. C. JOANNI
Gonzalesio de Dios , Humaniorum literarum in
Antistiti , de quodam ab hoc Grammatices
stab libello edito libello Censoria Epistola.



UOD tibi non tam celeriter libel-
lum hunc redditum curavi , noli
ignaviae , alterive vitio meo ver-
tere. Scias enim , meum omnem
laborem , omnem curam , omne
pænè studium in eo perlegendō consumisse ;
adecò ejus venustate non minus quam ubertate
detinebar ! Quid ? An me putas parasitando tuam
captare benevolentiam ? Apage te cum tua if-
ta falsa opinione : nosti jam ingenium meum .
Quæ bona reperio , libenter prædico , quæ ma-
la , honestius prætereo ; vel si id minus pos-
sum , confessim , palam , coramque liberius
damno. Sed ne in hoc quidem te prorsus teme-
ritatis crimine absolvo , qui libellum hunc mi-
hi tanquam Aristarcho , aut Phylóxeno cuidam
missurum professus es ; quasi non conscius ti-
bi esses , in eo erroris vel minimi jaccere ni-
hil ; aut si ita esset , futurum talem , qui cap-
itum meum omnino effugeret , etiamsi ingenii
nervos , qua maxima possem vi extenderem .
Quando autem sic contigit , non nisi impendio

A

tem-



temporis ; quod in hac Epistola percurrenda
triveris , te mulctatum dimittam. Scis equidem ,
nihil mihi vel gratius fore , vel jucundius ,
quām ubique de lingua Latina differendi data
copia , sicuti , ut paulatim ad profligandas quo-
rumdam nebulonum sententias fluat oratio .
Sunt enim tales , qui non modò Latini sermo-
nis nitorem , ornatum , elegantiam apud nos-
trates ferè amissam non lugent , sed , quod longè
detestabilius est , inanem curam , inutilem labo-
rem , contemptum oleum vocant doctorum viro-
rum observationes , sudores , cogitationes de lin-
guæ Latinæ reparatione tractantium. Horum ali-
qui satis esse ajunt , si quæ concipimus , ita expli-
cemus , ut facile quisquam intelligat ; nihil am-
plius curandum : loquendum , ut intelligamur.
Sed blaterones , blaterones ! An isti putant , in eo
Latinè loqui positum esse , ut non nisi face mar-
ginali , admotisque sæpè sepiùs Lexicis , percurti
possit oratio ? Immò ne hoc quidem ; sed sacræ
paginae , atque sanctorum Patrum vestigia se-
quenda : quorum sententiæ vernacula ferè apud
nos sonant multoties . Hostu permodestè ex Des-
pauterio : *Tu vivendo bonos , scribendo sequare peri-
tos.* Sed ego , dum fano sincipite audiant , errori
suo torquendos relinquō . Sunt & alii , & ex
his , qui Jurisprudentiam profitentur , apud
quos

quos nihil frequentius usurpari vides , quām
de Latini sermonis elegancia non esse anxiè la-
borandum ; satis esse , si Papinianum , Scævo-
lam , Sulpicium , aliósque Jureconsultos imi-
temur . Tum , nihil amplius ? Immò verò , in-
quam , vos ipsi inscitiam vestram proditis . Hoc
ipsum & nos volumus . Sed Jureconsultos imi-
tari , eos præcipue , qui Augusti tempore , aut
una cum Republica floruere , paucorum adeò
fuit , ut , si Cujacium exceperis , & quos nosci-
mus Edetanos duos (*) , vix ullum inve-
nies , cui non temere tantam laudem concedas .
Interpretum aliorum judicium facile veneror ; sed
Latinæ linguæ omissam curam doleo , damnò-
que ; nunquam enim mihi imponent , facilius
artis cujusque præcepta tyronibus , cæterisque
professoribus planiùs exponi sub verborum pæ-
nè barbara cortice , quām si syncerissimis , iisque
propriissimis Latinis verbis exprimantur . Quin
immò è Jurisprudentia maximè futurum arbi-
tror , si hujus farinæ Authores jussu publico in
ultimas terras exportarentur . Nam mitto illo-
rum aut in foro , aut in gymnasiis nullam ne-
cessitatem . An non vides parùm accuratae doc-
trinæ argumentum esse , ubi ejus Author ne
Latinè quidem loqui scire videatur ? Sed pestis

(*) Borrullum , & Chafreonem , Salmantic. Acad. Primar.



hæc liberiùs jam diù grassatur, quàm ut medicinâ aliquâ cohiberi possit. Omnes ferè Artes, omnes scientiæ hoc morbo laborant, tantùm ideo, quia piaculum admissum credunt Neotericî, si rudem, miserandámque antiquorum scribendi formam non imitemur, aut quæ vel ex illorum scriptis hauserunt, vel denuò proprio Marte invenere, suaviùs, concinniusque proferant: dolendum sanè delirium, sed privatis viribus fortassè insanabile.

Atque hi se seipso tantùm decipiunt. Sed quid, mi Jane, ubi videoas ipsos quoque Ludi Magistros non solùm his opinionibus, sed & aliis longè perniciosioribus imbuto? Atqui sunt, & fortassè plures, quàm oporteat, qui & credunt superiora, & qui garriunt perpetuò pueros satis ex ludo haurire, si nihil contra regulas, & grammaticos canones loquantur; domesticam exercitationem cætera tributuram. Cum hæc inaudio (audiui enim sæpiissimè) continuò nasum bilis concendit, atque acerbissimè commoveor. Superi istis malefaciant hominibus imperitissimis omnium, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt. Si ita est, ut dicunt, qui fieri potest, ut vix ullus saltim mediocriter Latinitate imbutus è ludo exeat? Certe hoc non aliunde, meâ quidem sententiâ,

pró-

próvenit, quàm ex rudi, & impolita methodo, qua miserorum puerorum tenella ingenia non solùm ad Latinitatem non juvantur, sed infelicitate torquentur, ac detinentur: nihil ferè de proprietate verborum, aut de eorum trallatitia significatione curatur: nihil etiam de venustate, aut recta partium orationis collocazione differit; & quod longè pessimum est, barbaram penè instituunt exercitationem; observationem omnino prætermitunt, quibus velut totidem cardinibus machina Latinitatis insistit. Quid enim, nisi monstrorum, ac barbarum loquetur puer, cui inter mille Authores, quos exercitatione gymnaſtica terit, nullum licet imitari? Ibi enim audias loquentem Ciceronem, quem mox statim Grammaticulus aliquis sequitur: posteà invenies vel Curtium, aut alium cœtui intermixtum, ita ut si puer aliquem imitari cupiat, non id magis possit, quàm si simul Parthos, Medosque sua quoque lingua audiret strepentes. Faceant ergo hi veræ Latinitatis corruptores, ac sciant, tunc demum se rectè pueros instituere, si quam exactissimè fieri possit, exercitationis, & observationis planissimam methodum tradant, atque hoc non aliter effici posse, quàm si pueris primis grammatices præceptis imbutis, altioris notæ

Au-



Authorem aliquem, Ciceronem puta, aut Cæsarem, & ex Poëtis Terentium, aut Horatium, ubi observare nominum, & verborum vim energicam, orationis venustatem, dicendi modum, & formam proponant imitandam.

Denique facilius fortassè mala hæc compescerentur, si vel unus in Scholis regnaret Sanctius noster, Sanctius ille Musarum delitiæ, Academia honos, exterarum gentium stupor, ac Latinæ suavitatis, & proprietatis Protóparens. Sed exultat, mi Jane, exulat. Et vel ob hoc solum piaculum à nostratis admissum, undique barbarie torqueatur. Fœlicem te, qui hoc uno libello Sanctum redivivum ostendis! Perge ergo, atque quibus vales ingenii viribus, Grammaticum hoc numen propitiare, quo facto, ab erudito quoque plus gloriæ tibi tribuetur, quam Mortaliū quisquam unquam sit assequutus. Ex Museo nostro, &c.

Hujus Dissertationis, alteriusque ejusdem Authoris eruditissimæ Opellæ (Commentarii, scilicet, ad text. in leg. 2. C. de Maleficiis, & Mathematic.) facta copia Joanni Cidio J. C., has tantum ab hoc ipso literas extorti.

JOAN-

JOANNES CIDIUS SUAREZ A RIVERA

Joanni de Miranda & Oquendo amico suavissimo, Juris simul, Musarumque alumno S. P. ab eis 1000 i



GO verò, Joannes scitissime, non semel tacito mecum risu miratus, quam bellè, quam aptè tot tibi impositas sustineas Provincias, instar Prothei alterius varias naturas tibi inesse putavi: adeo (quæso in bonam partem accipias,) versipellem te facis, quando lubet. Quem nuper enim de subtilioribus Romani Juris apicibus serio atque acutissimè ex publico suggestu differentem aspexi, ad forensia deductum, non nisi ad tabularum trikas natum crediderim. Quid, dum laxandis animi curis ad amœiores Musas, aut Mathematica experimenta divertis? Proh Deum! Uno ictu Geometram, Musicum, Phrygionem, Astronomum, Rhétorem, quandoque Medicum intucor. Et cum omnia plus quam mediocriter, nihil tamen in te nimis: adeò concinnè, adeò providè temporis momenta dispensas, ut ingenuas has artes, summo alijs honore apud te cultas, uni Jurisprudentiæ quasi ancillas ministrare compellas: hoc præcipue habens Phrygionis, ut rem omnem acu attingas. Me-

Medius inter tot hominum pugnantes genios, nec his temere credis, qui severioribus, quas vocant, literis turpiter missio repudio, præter florida studia, cætera quæque utilia & necessaria naufragabundi fastidiant, inertes reipublicæ fuci; nec eos tamén amplexaris, qui grandibus tantum assueti, priscis Aboriginibus similes, bonas literas (quod assequi eas non potuerunt) pestem scientiarum inclamant, earumque cultores, velut hostes publicos, aversis animis insectantur. Digni utriusque, mi Jane, qui cachinnos Democrito, qui lacrymas Heraclito extorsissent. Quam longè ab his differas, jucundissimis, quas ad me misisti opellis, planissimè ostendiisti. Elûcet in his cum jurisprudentiâ, veræ Latinitatis, eximiæ eruditio-
nis splendor. Haud mihi secùs magna de te expectanti pollicebar. Venustrissima illa de Latinæ lenguæ reparatione Dissertatio eo pollet nitor, ea ad rationis trútinam exactissima crisi, ut vel magnum Sanctum, quem patriis finibus nostra barbarie pulsum doles, lugésque, ad nos iterum vel invitum revocarit.

Sed quid ego de tua eruditissima Diocletiani, & Maximiani Rescripti enodatione? Nemesim iratam habeam, si non credidi eloquentia Ciceronem, Juris cognitione Papinia-

... regiam nos modico noi suum

num, Mathematicarum notitiâ Euclidem, Ptolemæum, Archimedem tibi in ea scribenda affuisse. Singula enim hæc quæ tot herœs constituerunt, in te uno fælicissimè réperi collocta. Nollem, cum hæc dicam, me tibi blandiri persuades, aut præ nimio erga te amore, ea mihi temere excidisse; credas mallem eas tui ingentis animi dotes esse, ut qui eas ex merito laudet, is utique imponere, aut assentari videatur. Scio hæc non æquo animo laturos, qui te, túaque invido dente corrodunt. Ast quinam hi sunt? Hi nimirum, qui dissertissimi Sulpicii, Papiniani, Scævolæ facundiam tibi in exemplum tantum non barbari sermonis obtrusere? Atqui satius pro gloria ab imperita reipublicæ literariæ plebecula malle multari. Immò in hac causa mortalium te fortunatissimum existimo, ut qui eosdem naectus sis adversarios, quos bonis litteris infensiissimos esse hostes experimur.

Plura ego alia ad te, ni jam mihi deprecandam veniam censerem, quod tuas suavissimas aureis hisce nugis, atque tricis offenderim. Si me tamen amas, ut abs te amari cupio, leviuscula hæc, ut à tyrone concinnata, censoriâ virgâ percurres. Erisque mihi semper Ciceron. Scis enim quanta inter Tyronem, & Tullium studiorum conjunctione necessitudo intercesserit, quantunque ille huic ut Aristarcho



detulerit. Nunc verò quod tibi præcipua tuae animi dotes ut sis Cicero, dedere, meminisse te oportet arctissimam inter nos consuetudinem mihi ut tibi sim Tyro concessisse. Vale mi Jane, animoque alacriori utere. Ex meo Musæo, Eidibus Junii.

JOANNI CID INTER OMNES CHARISSIMO.

Joannes de Miranda salutem plurimam.



VO die redditæ sunt mihi literæ tuæ, jucundissime Joannes, adeò rebus quibusque agendis eram implicatus, ut ne quidem iis pellendis otium esset. Instabat namque, ut scis, Amari nostri examini dictus dies, & Patroni mihi munus publicè indicebatur: atque adeò colligendis animi viribus (jam diu enim adversæ fortunæ vi, ictibüsque quassatæ marcent, & tantum non opprimuntur) necessum erat, tum otium, tum etiam, siquà possem, vel à Musis ipsis aufugere. Postquam autem examen peractum est, qui animo tantum laborabam, cœpi ipso quoque corpore ægrotare. Deus bone! quem non æneum hominem istius generis disputatio non confringet? Timui

cer-

certè, mi Joannes, ne velut quodam concitissimo undarum vortice, ita & jurium inter se commissorum tempestate absorberer: Adeò undique, velut totidem monstra, morsus, ululatus portendebant Papinianus, Scævola, cæteri que Juris nostri Antistites. Adde hisce peragendis tempus statutum, aptius, medius fidius, sterendo, componendoque sopore capiti, quam disputando, alteriye seriatæ rei agendæ. Hæc igitur fuere, quæ tandiu rescripsisse, ut optabam tardarunt. Nactus tandem, si non à negotiis omnibus, at ab importunis, at à domesticis tricis quietem, nunc primum gaudeo, quod nostram amicitiam, studiorum conjunctionem, quin & ingeniorum sympathiam vel scribendo saltem liceat colere. Et quidem, nisi quod ubique me rubore suffundis, ut ferè assentatoris personam subeas, & ni te noscerem, ebrium agere crederem, gratissimæ admodum mihi fuerunt literæ tuæ, quibus de opellis meis judicium profers. Tenues illæ sunt, tumultuaria quadam festinatione collectæ, nec ultima, ut ajunt, limma politæ. Sed nunc primum aliquid in eis esse venustatis, puritatis, ac, si mavis, eruditio- nis credo, cum à te emunctissimæ naris juvencæ, illas probari video. Hoc mihi unum operam contigisse, ut qui gratissimam Romano-

B2



rum facundiam in primis coleret, de rebus meis
judicaret. Cæterorum judicium parvi pendo. His
nebulonibus profligandis defessus cingulum po-
sui, atque è castris in urbem secessi. Mordeant,
latrent, irasci porrò pergent, nunquam ii erunt,
qui ratione id faciant. Quid? an putas istos aquilus
meum acturos, quām cum eruditissimo Cha-
freone nostro actum est? En quomodo græcu-
lum vocabant ii ipsi, qui, quo cali spatio
tegerentur Achenæ, ne audierunt quidem. Por-
rò quandiu sapis, istorum blaterorum in germa-
nam Latinitatē conceptum livorem non am-
plius paveas, quam impurissimarum muscarum
 sagittas, spiculaque. Qui timere debeas charta-
cea quædam spectra non animâ, non ratione,
& tantum non sensibus, sed barbarie, sed far-
ragine imbuta? Pergo ergo atque veram, ger-
manam, sanctissimam Romanorum facundiam
toto pectore colito. Sane hoc uno funiculo, ut
plura ac sæpius scribam vel invitum adiges. Sa-
tis erit, si te unum habeam auditorem, non qui
nostra quæque, quasi te fugiant accipias; sed qui
juxta mecum de his rebus agas, quarum non
est modo, sed & nomina ipsa fædissimo ig-
norantiae pulvere apud nostros turpam dolemus.
Interea charissimum patrum Primarium nostrū
meo nomine salvere jubeto, atque, ut te amem,
scribito. Ex Musæo nostro Non. Jul. JOAN-

JOANNI DE MIRANDA AMICO

Emolumento suavissimo Joannes Cidius. S. P.



UOD tibi, ut tam diuturno silen-
tio laborares, publicorum nego-
tiorum moles causam præstite-
rit, non adeò mihi facile persua-
debam, quin aliquid ignaviæ,
oscitantiaeve tuæ tribuendum putarem, aut
potius nostrarum literarum tricis ineptissi-
mis, quibus velut œstro percitum jam te ini-
tae societatis tæderet. Hæc mecum rimanti, ac
perpendenti, en tuæ ocurrunt literæ, nuf-
quam, profecto dulciores, opportunioresque,
cum me à tam anxia sollicitudine liberarunt,
totque suavissimi styli sponte sua fluentis ille-
cebris animum jam curis lassum, ne dicam stu-
pidum, relaxarunt. Deus bone! Quem non il-
la laxarent hominem, Marpesia licet caute ru-
diorem, undique Terentianos lepores, Tullia-
nam facundiam redolentes! Ex eis planè intel-
lexi, quantum tibi otii, temporisque delibent,
quominus Musarum colloquiis vaces, perpetes
illæ curæ, quas memoras, quibuscque perferen-
dis nec animi, aut corporis vires suppetant. Te-
neo, multumque doleo. Sed, heus ini Jane,
putasne, me conchas legere, aut Musarum con-
tu-



tubernio ad satietatem usque perfaci? Vidēsis si lubet, instituti mei rationem. A diluculo somno solitus, divinūmque numen auspicatus, ad horam nonam in evolvendis nostræ Jurisprudentiæ libris tempus transigo. Tunc Auditoribus meis Arnoldi Vinnii Commentarios ad tit. *de Legatis*, ut moris est, explicō. Remotis his, hora decima aut undecima alium auditorem excipio, quo cum *de Actionibus* differendum est. Dum hæc aguntur, interea viribus reficiendis tñctum aliquem *de Testamento Militis*, aut *de Furtis*, seu *de Officio Judicis*, prout sors dederit, ostenduo rimari, ac extricare atra hæc Præpositura Académia mihi publicè indicta compellit. His accedit imbecilla, ut scis, valetudo tanto oneri sustinendo impar, ingenii tenuitas, totundique rerum farragine hebetata. Dies nefastos quos vocant, ad me quod attinet, meras nugas semper duxi. Quietem ne per somnum quidem saluto. Bonarum literarum lepores, deliciæ, si quas unquam excolui, dum fata, Deūisque sinebant, situ, & rubigine occupatae miserè languent, & marcescunt. Quid plura? Vel hisce literis tute ipse quām vera prædicem cognoscet. Viden? illas omnis penitus cruditionis expertes, languidas, injucundas? ut impolito quodam, ac insulsissimo verborum cortice

ce contextæ jaceant? quibus non scatent nūgis? Quantum à tua suavissima loquendi formula abhorrent? Qui aliter eveniret calamo, ut ajunt, currente, ab eo præsertim exaratis, qui nullum Latinæ linguae usum, nullam penitus exercitationem habuerit? Qui in his conscribendis raptim, ac, velut canis Nilum, ut vetus est verbum, minutatim tempus sublegerit? Nónne hisce moribus præditus dignus tibi sum vi-sus, qui iuxta tecum de sanctissima, ac germana Romanorum facundiâ, quasi Atticus alter aut Cato olim cum Tullio in Tusculano disseverem? quem emunctissimæ naris juvenem indigites? quo uno auditore, chartacea hæc spectra minimè tibi sint pertimescenda? Apágesis cum ista tua jocandi licentia, quasi mei ita essem oblitus, qui non hæc omnia humanissimæ tuæ, quam expertus sum, indoli, accepto ferenda existimarem. Ut cumque sit, pergrata mihi semper erit officii tui in me memoratio, aut, si mavis, assentatiunculae, quarum adactus funiculo, vestigiis tuis studium inhærcere. Absolvi ad Epistolam. Quod nunc superest (ne Gallæcus non esse videar) huic nostræ ut des veniam. Gerendus tibi mos fuit, qui, ut scriberem, si à te velleam amari, præcepisti. Ego vero, mi Jane, non adeò patientia tuâ ab-



abuterer, cuius iterum vires experiri intendem. Sed tute ipse multasti. Hoc enim præcepto effecisti sanè, ut siquam voluptatem optimam scribendo cœpisti, eam nunc mala legendam amittas. Vale. Primarius noster, quem salvare jussisti, plurimam tibi salutem. Quæ mihi commodasti manuscripta, de quibus multum te amo, en ad te iterum. Amabo te etiam, si exemplar Gravinæ ad me quantocyus. Ex meo Musæo. Èdem die, qua tercenti Fabii ad Crémieram occisi fuere.

JOANNI CID INTER ALIOS CHARISSIMO

Joannes de Miranda S. P.

 T tibi de rebus nostris parùm li-
quere, suavissime Joannes, vel
inde colligo, qui me tanquam
non ita tum publicis, tum quo-
que & privatis negotiis disten-
tum, ignaviæ aut siquid illâ pejus existimes,
accusas. Quam tu mihi ignaviam? quam osci-
tantiam? quia paucis post acceptas literas tuas
diebus silui, & arctissimæ studiorum nostrorum
conjunctioni brevissimam hanc statui intercap-
dinem? at longiusculam timui, & ni inter me-
diā, ut ajunt, concionem calamum arripui-
sem,

sem, fortassè diurniore: nunquam enim quâ publicè, quâ privatim rebus agendis districtior fui. Adde ejus esse conditionis, quæ, si non astu providerentur, nos certè, remve publicam pefsumdarent. O miserandam hujus homuncionis, quam ajunt, facilitatem, aptitudinem! Hei! ve-
reor, ni Deus aliter statuerit, evasura hæc, ut quantocyùs me ultimo aspersum cinere videas. Tute ipse scis, quâm vera prædicem, sicuti & mihi ipsi conscius sum, te sub levissimo fœno ejulare. Et quidem, quia vel cum Scævola nostro, aut unà cum Papiniano, aliisve sacræ nostræ Ju-
risprudentiæ Patribus tempus ferè omne absu-
mis colloquendo: quod nullam sine libris ho-
ram, nullum ab his studiis vacuum diem trans-
igas, miserè adeò anxiaris? O lepidissimum vi-
yendi morem! quem ut ego, quem ut alii ita
facile institutum haberemus, perpetuo thure
Numinis aram venerari parùm esset. Evidem
libris quoque incumbere officii nostri est. Li-
bris etiam detinemur, circumdamur. Sed qui-
bus? Quâm inter se differunt Consultorum ipso-
rum, & qui proximè illos imitati sunt, Cuja-
cii, Donelli, Fabri orationis venustat, puri-
tate, soliditate, ac demùm dicendi copia frui,
aut spurca, ac pænè barbara practicorum isto-
rum ubertate contundi! quod ut interim ha-

C

beas



beas (fortassè enim hac de re pluribus ΕΡΚΑΙΡΟΤΕΡΟΝ differemus) en tibi quem ad manum habui (jam diù illum offenderam) Gomecii nostri locum, dignum sanè, qui pedibus, qui manibus, qui plena bucca rideatur. Agit ille de contractuum qualitatibus, ac num. 44. Baldi sententiam circa leg. si Sthicum. §. Stipulatio de V. O. his verbis profert: *Propter quod Baldus in dicta lege dicit, quod Consultus illius textus conditor videtur fuisse quodammodo stultus & una bestia, sed certè ipse loquitur impudenter, &c.* Statim ego. Et ò Sanctum, Sanctum! ubinam gentium sumus! Nunc autem si quicquam ita barbarum aut inconditum audivi, ille sim, quem vel Musæ ipsæ perpetuò oderint. Tu si meliore memoria es, equid recordare? Atque hinc colliges quantum stomacho valeam, qui jam diù nisi allia hæc gustare quidquam potui. Porro nobis, quibus in summo pretio est, ut quid quid dicatur, id suaviter, id luculenter ac concinnè fiat, fastidiosius aliquid aut ineptius, ne dicam stultus, obtrudi potest? Age ergo ac istis tuis parce querimoniiis: nam si illis meum animum ad miserationem solicitas ΑΡΚΑΔΙΑΝ Μ^η ΑΙΤΕΙΣ ΜΕΓΑ Μ^η ΑΙΤΕΙΣ ΛΤΤΟΙ ΔΩΣΣΩ. Tecum planè dolorē, si longè à re literaria abhorrens invitus ad hæc revocareris studia; at cum in-

ter

ter libros & degendum, & moriendum sit; in lucro maximo erit eos prope te habere, quorum lectione animus levetur, licet interdum assiduitate ac diuturna exercitatione vires debilitari contingat.

Eruditissimi Gravinæ operum exemplar jam pridem ad te miseram. In eo maximè repères quam bellè inter se ludentes sacra nostra Jurisprudentia amœniores Musas amplexetur. Immò certè ut aërem verberent, qui Juris scientiam se absque reconditionis cruditionis auxilio assecuturos confidunt. De Primario nostro, qui nobiscum lusurum pollicitus, adhuc silet, multa scire aveo: nisi quod cum vivere audio, cætera penitus ignoro. Patruum charissimum valere jubeto, ac ut invicem ames, vivito. Ex Musæo nostro. Sole subeunte terga Leonis.

*ERUDITISSIMO VIRO, SUAVISSIMO
amico Joanni de Miranda Joannes Cidius S.*



UAM verum istud est verbum vetus, quod dici solet: πτωχος πτωχω μεγαπει; dum te video, facundissime Joannes, nostram tanquam Polycratis alterius fortunam æmulantem, justasq; ue querimonias den-

C2



tibus, ut ajunt, nudis, irridentem. Hoc unum profectò, ærumnis meis augendis deerat, ut quò magis eram miser, eò potius invidiam compararem. Uterque negotiorum quâ publicæ rei, quâ privatæ pondere oppressi dolemus, atque ingemiscimus. Quæ te obruunt, & labore, & magnitudine longè latèque nostra superare non adeò excors sum, qui non videam. Domesticæ res, Academicæ, plurium causæ privatorum, & si qua sunt similia, in te uno viro solertissimo, patrefamilias, tutore, Patrono recumbunt. Ast non eò tamen velim quæ me impediunt curas, tramas putidas, aut cassas glandes existimes, mēque sub levissimo, ut inquis, ejulare fœno. Nam quod Papinianos, Scævolas, Sulpicios, & his parùm dissimiles Interpretes diutius versantein non parum me doctrinæ cum voluptate conjuncturum autumas, id ipsum & ego faterer, si rectè, atque ordine fieret. At verò in amethodica, tumultuariâque nostri juris Antistitum lectione qui velit oblectari, non magis id assequetur, quām si plures audiret Amphiones, scitissimè quidem, se ΔΙΑΦΩΝΟΙΣ citharis canentes. Quin & te ipsum mihi quoque in hoc assensurum credo, ni illa obstarent malis avibus prolata verba, Ignaviae, & oscitantiae, quæ te adeò punxere, ut non nisi de me tam

aci

aci sumto supplicio, aliter expianda putares. Sed nunc quidem ingenuè fateor, potius tecum irasci me posse, quòd nimium te mares, atque excrucies non sine valetudinis rei que literariæ publicæ detimento.

Ast sit jam aliquando nobis, si superis placet, aliquis lugendi modus, ut plenis buccis rideamus nostrorum Interpretum concinnas, suavissimásque loquendi formulas. Illud Patruo extorsit bilem, quod de Gomecio jaetas: cùm potiùs Baldo, quem refert, sit accepto ferendum. Et quidem tu quoque nimis in nostros Hispanos durus, quorum gloria ut fugillet, nullum non movet lapidem exterorum invidia: calidè fortassè, ne ab Hispanis ex Barbarorum colluvie videantur crepti, aut è nobis exhauste, quæ furciferi pro suis nobis obtrusere postea: (de quibus alibi fortassè latiùs.) Quod si nostri aliquando (immemores forsan, in patria esse Tullios, aut Sulpicios, quos possent imitari) minus aptè loquuntur, id ex ipsis exteris dicere, apud quos nihil solennius videris, quām Latini sermonis imperitiâ misere leges corruptas, & depravatas. Quod nusquam sanè nostris acciderit: aliud est enim inconcinnè loqui, aliud prorsus non intelligere, ut Alexandro evénit (Cujac. teste lib. 23. qq. Pap. in leg. 4. Si in



ingenuus esse dicatur): qui, cùm in textu legisset: *post quinquennium à die manumissionis nemini in ingenuitatem proclaimare licere*, ingenuè ipse fassus est, minimè se callere, *quid sit proclaimare in ingenuitatem*; *nisi*, inquit, *proclamator est præco, aut filius præconis, quæ officia sordida, & parùm digna ingenuis habebantur*. Viden' hominis facundiam, accuratamque sermonis diligentiam? exciditne Gomecio nostro quid tale?

Sed quid ego de Antiquario alio, quem Gofredus reprehendit, quod, invitâ Chronologiâ, postquam Ulpianum plus quam Tribunitia potestate fecerat Imperatorem, ex hujus constitutione novissimam Justiniani sublatam esse contenderet? Quid tunc Gofredus? Quasi ex libris Sybillinis abditam rem penitus cruens: *sed tu adverte, inquit, quod Ulpianus non fuit Imperator, sed quidam Jurisconsultus, qui vixit ante Justinianum*. Papæ! ò reconditam, & planè abstrusam eruditionem, quam si Gofredus tam sedulo non indicasset, nullus unquam mortalium reperisset! Quod si ab ipso Gofredo scire aveas, quanam Ulpianus floruerit tempestate, haud mora miserum Jurisconsultum è manibus, è consilio Alexandri severi Imperatoris eripiet, ut cum cæteris degat Prudentibus illis trecentis annis ante Christum natum, quibus Bartholus,

&

& Accursius omnes Consultos unà velut fratres vivere coègere. Bona fortasse fide à bonis viris id factum crederem, ut hac saltim via tot inter se dissidentium jurgia redigerem in concordiam.

Eruditissimi Gravinae scriptis quantum homini occupato licet, utor assidue. Plura tamen in sapientissimo viro offendit, de quibus tecum opportunius differam. Illud hic saltem annexare libuit, quod in tract. *de Origine juris* docet: in eo scilicet Proculejanos à Sabinianis differre, quod illi summae juris rationi semper religiosissimè adhærent; hi verò contrà, juris spiritu rigore, maximam æquitatem ubique sectentur. Quæ mihi duriuscula videntur: iam plurima in contrarium occurunt exempla, quibus Gravinae opinio funditus convellatur. Unum afferam (ne te jam diutius teneam) ex illa jam satis olim profligata quæstione, *An seruo communi ab uno ex Dominis (altero invito) manumisso libertas competeret, an prorsus esset inutilis?* Ubi Sabiniani juris addicti rationi, inutilem manumissioni esse, partemque domini manumisso-ris alteri accrescere totis contendebant viribus; dum Proculejani tantum æquitate subnixi seruum rectè manumissum, pretio partis oblato, favore libertatis assererent. Quorum sententiæ ut benigniori Justinianus subscripsit in leg. I. C.



C. de seruo communi manumisso. Illud nusquam negaverim, Proculejanos plus quam Cassianos subtilitatibus induluisse, non his tamen, quas opponimus aequitati, sed iis maximè quæ dialecticis contexuntur argutiis. At hæc obelismos tuos desiderant.

Triumvirum nostrum literarum tuarum certiorem feci, qui, quamprimum otium sit natus, à quibus nescio tricis, mihi jussit renuntiari, huic, quam suscepimus provinciæ, se proximili parte consulturum. Tu vero ne quid res publica detrimenti capiat, utque te amem, da operam, ut valeas. Ex Musæo nostro quo die Cæsar Hispaniam citeriorem Romano Imperio subegit.

JOANNEM CID, AMOENARUM
Musarum gratissimum cultorem, Joannes
de Miranda amicissimus salvere,
ac rem bene gerere.

PARABAM, mi Joannes, suavissi-
mis, quas dudum à te accepi li-
teris, non tantum respondere; sed
& de rebus ipsis, quas & doles,
& rudes, paulò fusiùs differere:
cum ecce tot inter se mutuò collidentium ne-

go-

gotiorum turbines homuncionem certè, ac non tanto labori parem, propulsarunt, ut paniè obru-
tus sim, nec nisi quasi Atlanticas subtus emen-
sus aquas, spiritum demum hauriam. Ut cùn-
que tamen, si donec torrens iste rerum quæ
publicarum, quæ privatarum effluat, gratissimo
literario nostro consortio quies indiceretur; ni-
hilo seciùs quam solenni misso repudio, sol-
vi contingere. Non qui fasti, qui nefasti dies
sint, quiescendo dinumero. Non horarum fall-
tem aliquot sedandis animi motibus concedi-
tur interstitium. Instant clientes, garriunt Pro-
curatores, mandatarii, negotiorum gestores, &
id genus alii. Arque inter hæc qui colendis
amænioribus Musis & domo, & foro sæpissi-
mè abibam, nunc formularum tantum præco,
medio Musæo noctes, diésque juri dicundo præ-
sum. Saltèm si vel ex eo tanquam alluvione
quodam familiaris rei fundus augeretur. Quin,
si vel fundus iste literarius dominum aleret; ast
non nisi spectrorum thesauri, quæstuosæ sunt
præmia advocationis, apud nostri ordinis homi-
nes præcipue, quibus à natura ipsa velut indi-
tum est, ut præter verè honoraria, cætera quæ-
que turpitudinem redoleant. Sed missa hæc fa-
cimus; quamdiu enim in Orbe Academico af-
cios agimus, fortasse & duriore Sirio torrebimus.

D

Sa-

non Sanè quām molestè feto, sapientissimum
Primitium nostrum, patruum tuum eò adac-
tum esse, ut crederet, me, quem allegavi Go-
mecii nostri locum, ideo risisse, ut homini con-
sultissimo notam impingerem; quasi ita vacuo
sincipite sim, qui non videam, Baldinum esse
quidquid inibi barbariem sonat. Quin etsi Go-
mecio tale aliquid excidisset, nihil penderem.
Scio enim tam apud eum, quam apud ceteros,
sive coetaneos, sive antiquiores, aut neoteri-
cos Academiæ nostræ Interpretes, solenne fui-
se, superstitione quadam religione, vetustiores
Icalos imitari; nec sine piaculi metu à Majo-
rum, ut ajebant, scribendi more posse recedere;
credidisse. Hinc Gomecii rudis, atque informis
stylus; hinc Antonii Pichardi Hispanismus fe-
rè perpetuus; hinc etiam aliorum: cum alioqui
vel ex eorum præfationibus, & epistolis non
obscure pateat, tum etiam apud nostrates vigi-
lasse Tullios, cum inter Gallos adhuc non can-
tabat Cujacius. Siquid ergo ab his, aut aliis ju-
ris nostri Interpretibus Hispanis in veram, po-
litamque Latinitatem peccatum est, proculdu-
biò, ut tecum quoque sentiam, ab exteris illis
didicere, qui duobus fere sæculis in leg. I I. §.
I. ff. de pignoribus, pro ANTIPHÆΣΙΣ, si Fabro
credimus, legere Antiphona: de quibus si ut

pla-

plane indicas pluribus rescribere mavis, & mihi gratissimum, & rei quoque publica utilissi-
mum feceris.

Discrimen, quod inter Proculjanorum,
& Sabinianorum Scholam statuit eruditissimus
Gravina, hominis est non ex merito rem ap-
pendentis. Nisi charta plus justo oneraretur, sex-
centa afferremi juris testimonia, quibus oppo-
situm plane demonstraretur. Nam præter exem-
plum illud, de Manumissione communis servi, quod
ex sententia quoque Justiniani affers ex leg. II.
C. de Servo Communim manumisso, extant in ff. quam-
plutima, que aliud agens ex Melilo, & aliis
in unum fere collegit D. Joannes Vela dissentit
33. à num. 59. quibus sic utitor, ut nos inter-
rimi ab illarum recensendarum onere defunga-
mur. Sanè huic quoque sententiae subscribo, ut
credam, Proculi sectatores, et devotiores quan-
doque apparere, quo Metaphysicis, ut ajunt,
abstractionibus dediti, plura ex mera subtilita-
te astimabantur, sed expida illa misericordia
iv Joannem nostrum, si tricis illis quandoque so-
lutum videris, meo nomine salutato, atque, ne
symbolo in communem hanc provinciam da-
tor, aufugiat, viribus omnibus inducit op. Tu inter-
imi, si quid votis possum, & meo, & reipublica
literaria bono vale. Ex Musæo nostro, pridie idus
Augusti.

D2

PRO



P R O . A S S E R E N D A H I S P A N O R U M
-perpetua eruditione, Epistola Apologetica Joannis

Cidii Suarez de Rivera J. C. ad Joannem de
Miranda, & Oquendo J. G. C. 1583.


Ul̄diū non adeò firmatus eram
valetudine, paucis ab hinc diebus
up obdurato ventre, intestinis om̄
nibus cœpi laborare. Premebar
mi Jane, siti, ciborum nausea,
languore, &, quod mihi acerbius, medicinis ip-
sis. Tot enim in me cathartica, clisteria, atque
unguentā collimarunt, quot arti evertendæ suf-
fecissent. Nec defuere pilulae Martiales, ne quid
rei militaris desideres. Omnia tamen incassum;
nisi quæ in naturam irrupere: quam nimium
frangi, non tam hostium ipsorum, quam au-
xiliantium armis serò animadvertis. Mærore era-
gò, atque ægritudine consumtus, vitam meam
qui emeret vitiosa nuce, vix posse inveniri exis-
timabam. Nulla ubique spes, nisi in Superis;
quos salutatum ibam penitus, quasi citò vi-
furus: adeò illa hærebatur rest. Sed Deus meliora
Medici, quos habemus præstantissimos, phar-
macis, quod nihil proficerent, in malam crus-
com adactis, ad Tamamienses aquas, omnium
ore vulgo decantatas, valetudinis causa ire ju-

D^o
bent,

bent. Nudius, quartus, aut quintus est, quo,
vale dicto potionibus, & id genus aliis sirupis,
aliquantulum quoque valere cœpi, atque ani-
mo, defæcaciōre occasum caniculæ expecto, ad
fontem saluberrimum iter arrepturus.

Interea & literis tuis suavissimis, quibus mag-
noperè sum delectatus, rescribam, & paulo fusi
de Hispanicæ gentis eruditione, quod promississe
me memini, & tibi hoc ipsum flagitanti morem
gerere optem, edisseram. Non ut centones sar-
ciam, aut rem ab aliis laudabiliter actam tibi nunc
fastidiosissimè obtrudam. Apage à me istiusmodi
veteratorum hominum toties reccetas crambes.

Post Alphonsum Mata-Moros, Gasparem Sco-
tum, & alios, nostræ gentis splendorem aptissi-
mè vindicarunt summi reipublicæ literariae herœs
Nicolaus Antonius, & Reverendissimus Feijoó.
Quorum ille quotquot uno sæculo tantum Hispa-
niæ Scriptores floruerint, velut in indicem rede-
git, majora molienti invidà obversante parca.
Hic verò quæ solet facundia, dum erroribus com-
munibus profligandis operam navaret (navatque
felicissimè reipublicæ bono) operæ pretium se fac-
turum rectè existimavit, si vulgus exterorum ad-
moneret, quæ iniquè de Hispanorum ingeniosis
judicaverit. Invaluerat jam diu exterorum ani-
mis, bonas, quas vocant literas, raro aut num-
erolli.

quam in Hispania consedisse, ut, qui plus nobis faverent, non parum largiri autumarent, si in discenda, docendaque Theologia aliquantum laudis tribueretur; in medicina vero, & veterum prudentia luscos, in amoenioribus Musas orbatos nos proflus esse existimantes. Hunc errorem, ne dicam contumeliam, penitus convulsit sapientissimus Pater, solidissimis innuens argumentis, Hispanorum ingenia nullius unquam exterorum concessisse: nec viribus naturae cui libet subeundae provinciae destituta. Quod pluribus exemplis comprobavit.

Ait non hic opus, non hic labor est. Ultero nobis acuminis præstantiam, vel inviti forsitan exteri concedent: eò enim rem eduxit discessissimus Author. Sed adhuc in amoeniorum Musarum provincia peregrinos nos esse putant serio. Non quod ingenio deficiamur, sed quod harum literarum studio quasi ingenita à natura indole, non ita magnopere delectemur. Id quod sub larva excusationis tegitur, plures Hispanos præcipites egit, ut insignis hujus calamitatem hamum devorarent inculti. Haud paucos nostrorum lamentari audio, superum, hominumque fidem sapissime clamare: popularium ignavia, atque oscitantiæ procul à nobis abesse Musas. Quorum testimonis exteri elati, quasi

bello

bello confecto, victores in nos impetum faciunt insolentiùs.

Sed quo jure hanc nobis inurant labem, ab istis scire aveo. An forsan id obtrudunt, quod hoc literarum genere illustrium Hispanorum copiam desiderent? Sibi, credo, miseri blandientur de hac re campum obtenturos, eo nimirum fisi, quod tot iteratis barbarorum irruptionibus, tot continuis intus, forisque bellis Hispania, si qua ulla gens, attrita, non modo literas, sed qui eas coluerint, memoriam obscurissima oblivione latere sit necesse. Optima quidem conjectura, sed quæ, unde egressa est, reversa, fortius eos feriat. Quid enim, si adhuc in hac re, quam longè nobis inferiores sint exteri ostendamus? Ego vero in ea sum opinionem, nec temerè. Dinumeram, si tibi placet, aut otio abundas Hispanorum sapientum non modò Theologorum, sed Jurisconsultorum, Medicorum, Mathematicorum, omnisque eruditioñis generē insignium virorum nomenclaturam. Si ullam aliam sub cælo gentem reperias, non quæ plures, sed quæ tot rei literariæ publicè heróes ediderit, ego sim restio. Quid si armorum strepitus, domi, militiaeque assidue contentiones plurium aliorum memoriam è nostra non delevisset? Quid, si Hispanorum ingenia me-

meriti avidiora, quam laudis, in hoc exteros imitarentur, qui vel ineptissimos centonum sarcinatores publico obtrudi conantur, ut saltim ex mustaceo lauream quærissent?

Denique nostrorum Principum, Procerumque sollicitudines, ac opes effusæ in construendis, reædificandis, ditandis, promovendis omni tempore tot literarum Academiis, gymnasiiis, Collegiis, quibus omnes edocerentur artes magna Professorum frequentiâ, nonnæ solida argumenta præbent, quanta Hispanis cura sit Musarum, adhuc Marte regnante? Quid, inquam, regnante Marte? ipsa grassante barbarie, quam toties nobis in oculos impingunt, paucis, si potero, ostendam.

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS.

AD HISPANIAM SCIENTIAS OMNES confugisse, ibique diu servatis, exteros collegisse quidquid bonarum literarum sibi adesse gloriantur. E contrâ vero siquid barbarum, inconcinnum, aut amethodicum in nobis reperitur, maxima ex parte ab his ipsis accepisse, qui ad Hispanorum scripta, quasi sibi res esset cum Japonibus, aut Trogloditis, fastidiosissimè nauseant. De utroque utinam faustis avibus, ita differam ut cum Plauto: uno in saltu lepidè apros capiam duos.

Id

Id rectius ut assequar, minime in scenam producam pristini illius temporis memoriam ab Augusti ætate ad Barbarorum irruptionem, quæ circa quartum sæculum accidit, Arcadio, & Honorio Imperatoribus. Quæ temporis intercapidine, mirum quantum Hispania cæteris Orbis Nationibus in omni literarum genere præfulserit: ut & vetrici Romæ, etiam cum Musæ, & Apollo magno in pretio erant, ingenii palmam videretur præcipere. Si enim Lucani nostri sublimitatem, majestatémque illam sacro igne furentis carminis inspicias, nec Græciæ Homerum, nec Italiae Virgilium invidebis. Si facetissimi Martialis, Sextilii Henæ, Tragici Senecæ, Siliique Italici poëmata percurras, vix similes ea ætate, quibus nostros conferas, invenies. Rhétores, Oratores plures dedit Italia. Non inferiores peperit Hispania, Junium Gallionem Rhetorem, Portium Latronem Declamatorum Principem, & alios. Unus Quintilianus (Marci Tullii pace dixerim) de Oratorum primatu cum Cicerone contenderet; quo cum exterorum testimoniiis (nam à domesticis abstineo) non modò anceps bellum creditur Laurentii Vallæ sententiâ, sed ad Quintilianum inclinari victoriam Critorum acerrimus Barthius existimat. Tacco Senecam Philosophorum ele-

E

gan-

gantissimum, Columellam Naturæ dissertum indagatorem, Pomponium Melam, si quis alius, Geographiæ Principem, omnium Musarum ornamentum, Adrianum Augustum Trajani imperio, & sanguine proximum.

Non enim, inquam, Hispanorum eruditionem nobis in animo est asserere illis fœlicissimis temporibus, dum quies publica, Musarum præmia ingeniosissimis aliâs viris addebat stimulos; ast tunc maximè, dum belli cruor, reipublicæ tempestas abactis Musis, Apollinem Marti subservire coegit: dum Getarum, Scytharum, Vandalorum, aliorumque istiusmodi gentium irruptioni tota ferè patuit Europa: quod quarto demum sæculo accidisse, Arcadio, & Honorio Imperatoribus, suprà retulimus. In illa igitur rudiori, quàm Aboriginem ætate, nihil fuit occupatum, quod non barbari occupantis conditionem, morésque induisset. Gallia namque, & Germania siquid literarum Romanorum commercio suboluerant, penitus vi hostium amiserunt. Italia ipsa, Græcorum sapientiæ æmula pristino exuta splendore, nihil nisi rudis mansit barbarorum Colonia. Philosophia, Medicina, dicendi illa facultas, atque eloquentia, linguarum veterum cognitio propè ab ejus finibus exularunt. Quid ni exularent, si nec patrii

trii sermonis umbra remanserit? Itaque & jus civile Romanorum, quod aliquandiu Ravennæ latuit, ab hac tandem excessit Longobardorum, Burgundinorum, Francicorum, aliorumque belluini ingenii hominum, grassante colluvie circa annum. 752. Quousque Lotario imperante, deletis Longobardorum pudendis legibus, jus Romanum pristinam majestatem recuperavit. Ac ei addiscendo Schola Bononiensis restituta sua-fu, atque opera clarissimi Irnerii Germani, qui jus civile, Græcamque linguam Constantinopoli edoctus, postea in Italiam advexit anno 1130. Nec diu tamen juris ille nitor confedit. Nam extincto Irnetio, hiems quodammodo (ut Gravina verbis utar) Jurisprudentiæ fuit, ut quæ Latinitatis, eruditionis præsidio destituta, veluti hieme cohorruiisset usque ad Alciatum, circiter annum 1500., à quo verus Romani juris cultus refloruit in Italia, indeque in Galliam per Muratum, & Cujacium, ac in Germaniam per Reuclinum, Erasmum, studio bonarum artium divinitus remearunt. Hæc sunt præcipue, quæ de literarum fato in Gallia, Germania, & Italia à quarto ad decimum sextum sæculum omnium scriptorum calculo vulgo circumferuntur.

Interea non adeò fata Hispaniam despexere (quod πΑΡΑΔΟΞΩΝ cuiquam videbitur) ut ejus-

dém Barbariæ fluctibus mergéretur, aut nullus literis tütus pateret locus. Nam primùm qui ad nos appulerunt Gothi, longè ab his, qui trans Rhenum, Alpésque migrarunt, & moribus, & indole secernebantur. Erant (inquit P. Bufier natione Gallus) bello feroce, & strenui Gothi, sed ingenio promptissimi, artibusque dediti, ut ejus temporis Gothica ædificia, artificum in Mathematicis ingentem peritiam portendentia, testantur, quæque nos adhuc admirabundi conspicimus. Non adeò à literis abhorrebat, ut plures earum cultores è Græcia (ubi tunc maximè domicilium erat Musarum) ad se non appellerent, & præmio allicerent, summaque reipublicæ potestatem ad divina, humanaque omnia sapientissimis hominibus non crederent. Quorum auspicia (si Arrianam excipiā pestem, qua inficiebantur) incredibile dictū erit, quantum reipublicæ literariæ adjecerint incrementi. Quidquid enim Græcia bonarum artium alebat, assiduo nobiscum commercio, velut permutatione quadam pro opibus, pro honoribus mercabamur. Hinc præter Latini sermonis peritiam (quæ ab ipsis Romanis accepta, diuque in Hispania latens popularēm idiotismum Romane, aut *Romance* cognomine indigavit) Græcarum literarum, omnisque eruditonis, quâ sacræ, quâ profanæ cultura, in qua

an-

anter adventum Gothorum perpetuam sui nominis celebritatem posteris reliquere Damasus Pontifex, Idacius Lemicensis Episcopus, Ossius Cordubensis, Juvencus, Prudentiusque Poetæ, aliique plures sanctimonia, & sapientia commendabiles, nunc, ipsis regnantibus Gothis, altius in Hispania radices egit.

Dies abeat prius, quam Philosophiâ, linguarum peritiâ, sacrorum cognitione conspicuos Herœs dinumerem, qui ab his temporibus ad Saracenorum irruptionem pro literis, ac religione strenuissimè certarunt. Liceat saltim (uti ex ungue leonem) in medium afferre Isidorum seniorem, alterum ab Hispalensi, virum in paucis sacræ, profanaeque eruditionis aggregium: Lucianum Hierosolymitanum Presbyterum, qui Græcè scrisit opuscula, quæ demum Latinè reddidit Avitus Hispanus & ipse: Paulum Orosium Historiographum elegantissimum, Divi Augustini quondam auditorem, & Divo Hieronymo ob sacras, profanasque literas arctissimâ consuetudine devinctum: Aprigium Pacensem Episcopum, Sacræ Paginæ Interpretum ob ingenium, & facundiam Principem indigitatum: Julianum Toletanæ, & Justum Orgelitanæ Ecclesiæ Praefules, & fratres, utrumque scripturæ sacroprofano interpretem dissertissimum: Lici-

nia-



nianum Carthaginensem Episcopum, virum sua ætate eruditissimum, veneni poculo extinctum Constantinopoli, imperante Mauritio anno 590. hujus socium Severum Malacitanæ urbis Episcopum, ingenio, facundiâque clarissimum, fidei Catholicæ adversus Arrianos acerrimum propugnatorem: Eutropium Præsulem Valentiniū S. Benedicti Monachum, virum, si quis alius, factis, profanisque literis haud leviter instruatum; Joannem Episcopum Gerundensem ex Lusitania, qui Constantinopolim profectus amore discendi, mox in Hispaniam reversus, sub Recaredi Christianissimi auspiciis Monasterium condidit anno 600., ubi monastica disciplina, omnigenâque eruditione fratres imbutos reliquit, qui sapientiam acceptam posteris tradidérunt: Maximum Cæsaraugustanum Antistitem, ingenio promptum, nitidum eloquio, carmine, & soluta oratione conspicuum, ut ejus utrōque stilo satis præclara volumina testantur: Braulionem sanctissimum Urbis Cæsaraugustanæ Episcopum: Julianum Toletanæ, Ildéphonsum ejusdem, Leandrum Hispalensis. Quos omnes, si singulos intuearis, præter morum, vitaèque honestatem, quâ beatorum sedes concenderunt, omnium literarum facile Principes admiraberis. (Consule Tritemium apud Gaspar. Scotum in Bibliot.

bliot. Hispan. tom. 2.) Hispalensis Isidorus, Leandri frater pro tuenda Hispanorum eruditione planissimè sufficeret. In Patria sub sanctissimi fratris auspiciis edoctus, is evasit, qui omnium ore, si Biblia cuncta perirent, Orbi universo scientiarum lumen solus accenderet. Quæ cum satis sint aperta, nec Exteris ignota, calamum abstineam, ne ipsi splendori obscuro stilo tenebras offundam.

Denique Juris Civilis cognitionem ab ipsa demum Italia profugam requiris? Contemplare, amabò, Gothos antiqui Romanorum iuris religiosissimè observatores, quo quidem moribus, & consuetudine utebantur, ut ex veteri Fori judicium lege constat. l. 8. lib. 2. tit. 1. Quousque Euricus Goths ipse Princeps, Galliaèque domitor circa annum 470. Procerum, Magnatūmque conventu habito Toleti, sacrorum Præsulum annuente Concilio, primus leges edidit Latino idiomate conscriptas, ipsi Romanorum prudentiæ mirum in modum consonas. Hæ sunt veteris Fori sanctiones, quas *Fuero juzgo* noster idiotismus appellat. Eo artificio (quod singulariter notat Cujacius, dispositæ, ut in duodecim libros adinstar Justiniane Codicis dispergiantur. Sed ipsum audiamus Cujacium: *Qui Hispaniam* (inquit lib. 2. faudor. tit.



xi.) & Galliciam Toletu sede regia tenuerunt , editi derunt duodecim constitutionum libros æmulatione Codicis Justiniani , quorum authoritate utimur sæpè libenter ; quod sint in eis omnia ferè petita ex Jure civili , & sermone Latino conscripta , non illo insulso cæterarum gentium , quem nonnumquam legimus ingratiss : ut gens illa , maximè quæ confedit in Hispania , planè cultior cæteris hoc argumento fuisse videatur . Audebitne aliquis hoc acerrimi critici testimonio in Hispanorum eruditionem canina lingua oblatrare , aut nos nudis irridere dentibus ?

Illud nos hæc omnia docent à primis illis Getarum temporibus , quibus reliquæ ferè Europæ regiones barbaros induērē mores , Hispaniam cæteris cultiorem ut cum Cujacio loquar , Musarum omnium , ac religionis tutissimum fuisse præsidium . Sicque mansisse ad octavum saeculum , quo viliorum gentium Arabum , Saracenorūmque ditioni divina , humānaque omnia turpissimâ occupatione cessere . In tanta reipublicæ calamitate monstrum esset , penitus jam cum religione labantem libertatem , modicum saltim , ne totum iret in præceps , substinere : Musis autem , & Apolline in aliam Provinciam ire jussis . Sed nostræ gentis popè divinus genius ad omnia natus , Marti simul , Minervae que litabat .

Quid-

Quidquid enim literarum intra fines Hispaniæ colebatur , ne simul cum Imperio exularent , in loca tutiora , quaèque natura abdita , atque inaccessa hostium incursui , montibus , rupibúsque muniverat , velut ad arces confugere . Huic rei aptissimæ Catalanniaæ , Aragonumque Provinciae , Lucensis Galleciæ Civitas , quas à Maurorum vastatione integras perstisset constat . Ibi Latinitatis , bonarūmque literarum cultus , jus incorruptum , germana Philosophia cum fide , ac religione servata latuere partim in Oscensi Académia (quam illis temporibus illibatam , ac intra Parœciam S. Petri ejusdem urbis permansisse ad annum 1354. quo Petrus IV. Aragoniæ Princeps rursùs eam instauraverit , plurimi bonæ notæ Authores cum P. Mendio subscribunt) partim in diversis Benedictini Ordinis Monasteriis , quæ rectius cum Mavilone dixeris Académias : in quibus literis cum fide imbuti , velut è Trojano equo prodiere haud dissimiles Ildephonsis , Leandris , Fulgentiis , Eutropiis , Isidoris , summi illi heróes , qui ruroribus saeculis scintillas sapientiæ conservarunt : ut non modò Hispaniam , sed exteris quoque gentes fulgentissimo lumine illustrarent , paulò ut inferiùs apparebit .

Nec huic negotio Arabum dominantium

F

in-



indoles obstitit. Vix enim credibile est, quā
mentis avidā contentionē hoc genus hominū
in bonas artes, præcipue Philosophiam, Me-
dicinam, & Mathematicas incubuerint. Quidni
id facerent, ab Ægyptiis edocti, omnium scien-
tiarum, siquā alii, callentissimis? Unde namque
Aristotelis, Hippocratis, Ptolemæi ne nomina
quidem ad aures nostras pervenissent, ni Abén-
roes Cordubensis, perpetui Aristotelis Interpre-
tis, nec Græco Philosopho secundi Arzaēlis To-
letani, Mathesis peritissimi, Abben Zoar His-
palensis Medici præstantissimi, Rasis Ibnu Tho-
pail, hujus filii, Abbubahar Ibnu, Chalfon
Granatensis, Gebberi Chīmicorum facile Prin-
cipis, Saig Edelbeirar Malacitanæ Urbis, Aben
Agatin, Aben Madi, Avicenæ denique elucu-
brationes nota triū illorum opera effecissent?
Porrò Hebraicæ synagogæ tam apud Mauros,
quām Hispanos illis temporibus frequentissimæ,
plurimum juvēre ad abstusiores Biblior. sensus
enodandos, gentisque Hebraicæ antiquitates il-
lustrandas, quorum, licet annilibus referta fabel-
lis, adhuc monumenta superfunt, quibus non
una ornatur Bibliotheca: ut quidquid ubique ter-
rarum in sacris literis Medicinâ, Philosophiâ,
Mathesis notitiâ nunc elucubratum intuemur,
non alio, quam ē nostræ Hispaniæ finibus pro-
diis-

diisse constet ipsorum exterorum testimoniis.
Interea dum hæc ab infidelibus artium in
Hispania spargebantur semina, sanioris doctri-
næ specimina illustria præbebant sanctissimi un-
dequaque Herōes Eterius, Isidorus Pacensis,
Eulogius Martyr, Albarus Cordubensis, Boni-
tus, Prudentius Episcopus Trecensis, Verus His-
palensis, plurésque alii, præcipue è Monacho-
rum cœtu illustres viri, qui à Majoribus accep-
tas cum religione literas, non modo inter Ara-
bum, Rabinorūmque ineptias servarunt incor-
ruptas, sed ab his ipsis, instar sapientum apum,
plurima decerpsere ad sacras literas, Medicinam,
Philosophiam, Mathematicas; quarum cogni-
tio infidelium erroribus defæcata, inque Monas-
teriis diù servata, clarissimos peperit omnigena
eruditione Doctores Hispanos, exterōsque: qui
non aliis scientiis se imbutos acceptum ferre de-
bent, quām nostræ regionis Monasteriis, quæ
velut altera Noémi arca, in illo barbarie cata-
clysmo incolumes cum fide Musas foverunt. At-
que hinc, ut solet, assiduo cum aliis ejusdem
professionis alibi terrarum degentibus commer-
cio, sapientiæ lampades quasi in Eleusinis sacrī
accendiſſe, non unum adeſt testimonium.

Mitto Philosophiam Aristotelis ea tempeſta-
te obſcurissima latentem oblivione à nostris Ara-
bis



bis primūm Cordubæ excitatam , hinc per Hispanos (superstitiosæ gentis purgatam deliriis) in Galliam advectam , inde in Germaniam , & Italiam derivatam . Unde quæso tot Medicinæ arcana , Chimicaeque artis peritiam eduxisset Paracelsus (quem falsò Chimicæ authorem vulgus scriptorum indigit) ni eam à Basilio Valentino Germano Ordinis S. Benedicti per Trithemium accepisset , ut Elmontius , Bôile , aliquique non levibus conjecturis existimant ? Atque ad ipsum Valentimum unde hujus artis notitia pervenisset (prorsus in eâ gente ignorata) ni mutuò , ut dixi , utriusque nationis Monasteriorum commercio , Gebberi Hispalensis Chimicæ peritissimi , aliorumque lucubrationes è finibus Hispaniæ prodiissent ? Floruit Gebber circa anni 704. longè ante ipsum Valentimum . De illius scriptis , quæ in Lixiensi Bibliotheca se vidisse refert Hermannus Boheraavus , natione Batavus , hanc ipse tulit sententiam : *in ejus libro* (inquit Prolegom. ad instit. Chemic.) *infinita experimenta , & quidem verissima hodiè experta habentur , & quidem quæ hodiè pro recentissimis inventis habita sunt.*

De Mathesis peritia in exteris excitata idem judicium esto . Quotnam hujus artis mirabilia , quasi nova , aut recentia ab his quotidie accipimus , quæ diu antea in Hispania inveterata fuere ?

No-

Novi Orbis notitiam aliquot retro sæculis ante Columbum primus aperuit Arzael Toletanus Cosmographus peritissimus , qui XI. floruit sæculo circa annum 1069. Hunc igitur constat orbem in duo hæmispheria divisisse , viamque primum ad Americam detegendam demonstrasse , plurimis inibi , latisque regionibus exaratis . Testantur id P. Fournier lib. 14. cap. 25. Hydrograph. Lansbergue obf. Astron. & Mallet. Vide Botell. in Hist. de las Cuevas de Salam. Thelescopii inventum , Jacobo Mezio Batavo , qui anteriori floruit sæculo , tributum , ex Mavillone constat , jam antiquius fuisse vulgatum . Refert enim , in quodam Italiæ Benedictino Monasterio Autographum se inspexisse plus quatuor centum annis antea scriptum , quod Ptolemæi cum Telescopio astra contemplatis imaginem portendebat . (Vide P. Feijoó tom. 4. disc. 12. §. 10.) Jam verò , si veterum monumentis credimus , plus quam compertum est , Mathesis cognitionem (si nostram excipias Hispaniam , quo Arabum industria fuerit invecta , aut potius instaurata) à cæteris Europæ regionibus adeò exulasse , ut præ nimia hujus artis ignorantia nostros Hispanos , qui maximè dediti his literis fuere , velut Magiæ suspectos , exteriori illorum temporum execrarentur . Hinc licet conjectari , non aliunde in vulgus emanaf-

se



se tot de antro Toletano , Cordubensi , & Hispalensi fabellas , atque ineptias : nisi quod ini bi Mathematicæ florerent (ut ex veterum constat monumentis) quas exterorum barbara vetus tas inter scelestas cacodæmonis artes collocabat . Hinc non semel accidisse , ut si quis ex nostris Mathematicis instructus ad alias gentes appelle ret , in eum tamquam Magicis erroribus dedi tum , religiosissimè stulti animadverterent . En huic rei confirmandæ facetissimum exemplum , ut alia omittam .

Silvester secundus , qui circa annum 1130. floruit , Pontificum albo adscriptus , in Monasterio Hispalensi cum religione Mathematicis in structus , cum hujus artis in Italia artificiosissima aliqua edidisset experimenta , Deus bone ! at tonito similes Romani , infami benefici epitheto virum sanctissimum deturparunt : quem , pos teà comperta fraude , ob morum , vitaèque in tegritatem sacra apotheosi inter Divos veneratur Ecclesia . Unde obiter patet , quisnam hujus artis apud exteris , quisnam apud Hispanos es set cultus . Nec temere crediderim beatissimi hujus Pontificis ductu , & auspiciis aliqua hujus artis ex Hispania in Italiam volumina delata , quibus melioribus sæculis imbuti exteri incautis nobis imponant , Authorum se laudem asse

quu-

quatos , dum exceptoriam exercent . Nec his contenti impudentissimè ambiant (ut bellè P. Feijoó) cum veterum Hispanorum fuissent discipuli , Recentiorum nunc esse Magistri .

Hi fructus literarum in Hispania illis publi cæ calamitatis temporibus dum armis cedebant togæ , dumque alibi non belligerandi , non libertatis tuendæ causa , sed inertissima quiete , turpique otio fordebat Musæ . Sed à duodeci mo orbis redemti sæculo , cum jam nostorum virtute penè profligatis hostibus , respirare Hispania , ac pristinam majestatem velut post liminio cœpit recuperare , quanti gens nostra fecerit Musas , nunquam intetitura monumenta testantur Académia , Palentina ab Alphonso IX. Castellæ , Salmantina ab Alphonso IX. Legionis , Regibus erectæ : accitis ex Sertoriana Académia , universaque Hispania viris , qui artes omnes tantum non profugas in hæc præsidia reducerent , publicèque docerent . Sed postquam Palentina Universitas nostræ Salmantinæ , ut olim Alba Romæ , succubuit sanctissimi Regis Ferdinandi auspiciis circa ann. 1230. , verè encyclopædiam in hac regione adesse miraberis . Quàm bellè , quàm aptè Marinæus Siculus , cum de quatuor Orbis gymnasiis ageret ! Parisiensi , inquit , & Oxomensi Académie , Theologie , & Phi-

lo-



*losophiæ; Bononiensi Juris Civilis laudem plurimi
præcipue concesserunt; at Salmantinæ omnium scien-
tiarum principatum merito detulerunt. Cui mirum
in modum consonat Sacræ Rotæ decisio coram
Francisco Penna 5. Junii ann. 1591. ibi: In
Civitate Salmantina una est celebris, & antiqua
Universitas multis Romanorum Pontificum donata
privilegiis, & innumeris Regum Hispaniæ munita
præsidiis, quia in ea speciali quadam prærogativa
literarum omnium videtur considere domicilium, &c.
Sed hæc, & siqua sunt similia tantæ Academiæ
ornamenta, clariora sunt, quàm ut nostra in-
digeant facula. Itaque filum orationis fractum
subnectamus rursùs.*

Ergo ad decimum tertium sæculum literas in Hispania florentes vidimus hucūsque. Nunc ab his ipsis temporibus ad hæc usque nostra perpetuum Musarum imperium ibidem continuatum , paucis , si potero , ostendam. Prodeant in hujusce rei comprobationem eruditissimi undequaque Herões , qui ipsum decimum tertium sæculum ornarunt , Alphonsus Rex Sapiens , Astronomorum facile Princeps , Lucas Tudensis , Raimundus Pennafortius , Rodericus Ximenius , qui , Auberto Miræo testante , tantam linguarum facultatem Concilii Lateranensis Patribus visus est assequutus , quantam ab Apostolorum

ætate ulli hominum negabant contigisse. Prodeant denique primævi illi Doctores Salmantini, quibus germanam prudentium veterum in legibus Partitarum avidissimè expressam, Medicinæ instaurationem (Latinitate, perpetuaque Cathedrâ Avicænâ, Hipocrateque donatis) Mathesis denique peritiam debemus, editis Alfon- finis Tabulis, quo nullum gens ulla opus edi- dit elaboratius, aut augustius.

Nec his dissimiles, ni forsàn maiores, sequens protulit sæculum. Taceo Musarum omnium coryphæos Guidonem, & Petrum Perpinianos, Albarum Pelagium, Joannem Vallesteros, Nicolaum Emericum, Franciscum Martini, plurésque alios eruditione commendabiles viros. Adhuc orbem literarium sui admiratio- ne stupentem rapit adivinus ille i Majoricensis, gentisque Catalauniaæ gloria, Raimundus Lulius iob incomparabilem omnium scientiarum cognitionem, eatumque tradendarum artificio sami methodum, unde Rhenanus Alfatius ita cecinit: *Grammaticen libans primum in fusca arte regum liquit*. Innumerous nuda simplicitate libros. *Sensa sub incultis latitudo præstantia verbis, Quæ possint mentes erigere usque pias.*

9

Hind



Hinc instructi prodiere admiranda illa literarum monstra Picus Mirandulanus Italiæ, Jacobus Stapulensis, Bobilius Samorominus Galliæ, Henricus Cornelius Agrippa Germaniæ, Petrus, Jacobusque Canterii fratres Frisiæ numquam interitura ornamenta.

Decimum quintum sæculum illustrarunt præter eruditissimos, nec ignotos, Joannem Consobrinum, Lupum de Oliveto, Jacobum Magnum, Raimundus Sebeide, qui Tolosæ docuit, Franciscus Batho Parisiis, Joannes Palomar Viennæ, Fortunius Garcia Bononiæ, qui primus Jurisprudentiam apud exteris barbaric deturpatam, ipsis ante Alciatum tradidit incorruptam suavissimo germanæ Latinitatis stilo, bonarumque literarum adhibitâ culturâ. Fuit hic sodalis augusti illius Romanorum Collegii, quod Bononiæ his temporibus exerat Cardinalis Albornotius, ne popularium doctrina intra fines Hispaniæ clauderetur. Incredibile dictu erit, quot viri eruditissimi ex eo prodierint, quantumque reipublicæ literariæ adjecerint incrementi. Unde illud, obiter observatum, nefas duxi prætermittere, quod tunc demum primæ bonarum literarum scintillæ apud Italos appa ruerint, planèque considerint, cum, Albornotio favente, cœperit Bononia, hoc propè laban-

te sæculo, sapientum Hispanorum commercio frui. Unde si, teste Gravina, ab Italia primum in Germaniam, & Galliam amœniorum Musarum cognitio fuit derivata, oportet rectius hoc beneficium ferre acceptum Hispaniæ.

Non me hinc in sequens abire sæculum sinunt duo hujusc conspicua literarum lumen Alphonsus Abulensis, quem Tolstatum vocant, & Ferdinandus Cordubensis, ut aliis valericam. Quorum ille, ut plurima omittam, omnium ore vulgatissima, cum duodevinti annos explevisset (verba sunt Possevini in apparat. Sacr.) scientias, disciplinasque pæne omnes est assequutus. Ferdinandus autem, Abrahamo Bzovio testante, cum ex Hispania in Galliam venisset, universam Parisiorum Scholam vertit in stuporem. Memoriter, inquit, tenuit Bibliam totam, Nicolaum de Lira, scripta S. Thomæ Aquinatis, Alexandri de Ales, Joannis Scotti, S. Bonaventuræ, & aliorum in Theologia completrium. Decretum quoque, & omnes utriusque Juris libros. Et in Medicinis Avicennam, Galenum, Hippocratem, & Aristotelem, atque Albertum, omnésque Philosophiæ, & Metaphysicos libros, & Commentaria ad unguem memoria retinebat. In allegando fuit promptissimus: in disputando acutus, & à nullo umquam superatus. Denique linguas Hebreas



cam, Græcam, Latinam, Arabicam, & Chaldeam perfectè legebat, scribebat, ac intelligebat. In omnibus Italiae, Galliaeque gymnasiiis publicè disputans convicit omnes; ipse à nemine vel in minimo conticuit, &c. En perpetuæ florentis eruditionis Hispanicæ ad sextumdecimum sæculum, quo alibi primùm bonarum literatum scintillæ sunt ortæ, argumenta non levia.

Sensim ad fœlicissima illa tempora pervenimus, cum Deo propitiore, humaniores litteræ in Italiā inductæ Alpes trajecerunt, atque uno simitu Galliæ, Belgio, Germaniæ primum Græcorum, Latinorūmque ingenium eluxit. Quanta ab hoc sæculo omnigenæ eruditio-
nis messis in Hispania fuerit, quæ aliæ, stetilescensibus eloquentiæ campis, tot Philologiæ flores ediderit, non ita quisquam facile conjecturabitur. Nam præter Academias, non modò in hac regione, sed in remotissimis Americæ Provinciis, Regum nostrorum auspiciis, his temporibus erectas, quæ trigesimum numerum excedunt, plurimas quoque in Belgio, & Germania, aut noviter stabilitas, aut denuo instauratas, Hispanorumque doctrinâ florentes admiraberis. Inter quas Bononiensis, Lobaniensisque eminent in perpetuum nostræ gentis eruditio-
nis monumentum. Unde illa bonarum litera-

rum

rum flores suboluisset, quoique auspicis Albornotii Hispanorum ditata Collegio? hæc au-
tem dum Belgio in Hispanorum erecta colo-
nia, nostrorum, quos docendi causa misimus Doctorum (ut Ludovici Vives, Ariæ Montani, Antonii Perezii, aliorūmque plurium) cœpisset commercio frui? Una tamen præ cunctis Aca-
demia loquatur Complutensis illis erecta tem-
poribus, sumtibus Francisci Cisneros, quem meritò alterum Ptolemæum indigitaberis, quod ejus auspicis, hinc inde è nostra Hispania eruditissimis accitis viris, Bibliam evulgandam cu-
raverit Hæbraicè, Græcè, Chaldaicè, atque La-
tinè: opus quidem toto terrarum orbe decan-
tatum, & quo uno intemerata fidei argumen-
to veterum linguarum peritiam in Hispania eò usque virentem vel inviti fateantur extranei.

Quod si nunc velim huc Hispanos evoca-
re, qui omni literarum genere ab his tempo-
ribus perpetuam sibi laudem peperere, novam
patiar ex copia difficultatem. Non quod olim
piuciores, aut forsan non longè plures istius-
modi extiterint viri; sed quod aut temporum
longinquitas, aut Typorum veteribus ignoran-
tus usus, inumeros, ut credibile est, è nos-
tra memoria subduxerit. Totius Europæ cultio-
rum gentium Philologos præstantissimos acer-
væ

vatim dinumera , unam Hispaniam cæteris fæ-
raciorem hoc hominum genere planissimè com-
peries. Ast rursùs , si singulos æstimes , intue-
ris , cum nostrisque conferas , næ lippis labo-
rabit oculis , qui plures numero exteris à nos-
trorum uno conditione antecelli non videat.

Prodeant in Scenam Italia , & Venetiæ
quasi palmam Philologiæ prærepturæ cum suo
Alciato , Laurentio Valla , Pomponio Læto , Ja-
no Parrhasio , Petro Victorio , Acciayolo , Po-
litiano , Hermolao Barbaro , Bembo , Majora-
gio , Jovio , Sadoleto , Julio Camillo , Bartho-
lomæo Riccio , Naugerio , Sigonio , Paulo Ma-
nutio , & siqui sunt , similibus. En ex adverso
Hispaniam prodeuntem ad pugnam , stipatam
præstantioribus longè Heroibus (æqui , bonique
æstimatores viderint) Alphonso Garcia Mata-
moros , viro sui sæculi criticæ artis facile Prin-
cipe , & qui pro asserenda Hispanorum erudi-
tione Apologiam conscripsit , Ario Barbosa Lu-
sitano , Didaco Gratiano , Gundisalvo Perezio ,
Achille Stacio , Antonio Covarrubia , Mendo-
zis duobus Didaco , & Francisco , Gundisalvo
Pontio Leonio , Laurentio Baldo , Petro de Va-
lentia , Antonio Nebrissensi , Petro Fonseca ,
Joanne Mariana , Ludovico Crucio , Joanne
Petro , Emmanuele Pimenta , Ambrosio Mo-

ra-

rales , Jacobo Falcone , Gaspare Barrerio , Joa-
ne Verzosa , Jacobo Salvatore Solanio , Joa-
ne Vilchio , Ludovico Tribaldo , aliisque plu-
ribus Græcæ , Latinaeque eloquentiæ verè ins-
tauratoribus.

Obtrudat nobis Belgium , obtrudat Ger-
mania præstantissimos viros Reuchlinum , Lan-
golium , Sciopium , Erasmus , Lipsium , Sal-
masium. His eant suppetias Insulæ Britannicæ
cum Thoma Moro , Joanne Barclajo. Atqui
contrà , opponemus Franciscum Brocensem , Pe-
trum Joannem Perpignianum , Joannem Lu-
dovicum , & Melchiorem Cerdas , Benedictum
Ariam Montanum , Ludovicum Vives , Hiero-
nymos Ossorios consanguineos , quorum alter
Episcopus Silvensis in Algarbibus , alter in Lu-
sitania Eborensis Canonicus floruere. Emma-
nuel Albari , Joannem Christophorum Cal-
vetum , Josephum Gonzalez de Salas , Francis-
cum Macedo , Petrum Ciaconium , Antonium
Perezium , Petrum Ciruelum , Franciscum Val-
lesium.

Plaudat sibi denique Gallia Lambino , Mu-
reto , Budæo , Turnebo , Ramo , Scaligero , Pe-
tro Fabro , Petito , quique omnes exuperat , uno
Cujacio. Hos omnes fasces submissuros credo
nostris Heroibus Antonio Augustino , Antonio
Go-



Goveano, Didaco Covarrubias, Andreæ Resenda, Albaro Gomezio, Hieronymo Zuritæ, Laurentio Ramirez de Prado, Didaco Tevio, Sebastiano Foxio Morcilio, Hieronymo Blan-
cas, Bernardino Gomezio Miedes, Andreæ Pin-
to Ramireziò, Martino del Rio, Michaeli Tho-
masio, Joanni Griali, Thomæ Tamayo, Joan-
ni Baptistæ Suarezio, Francisco Amaya, Ramos
del Manzano, Melchiori Cano, Bernardo Al-
dereto, Martino de Roa, Joanni Genesio Se-
pulveda, Roderico Caro, Francisco Ferdinand-
do Cordubensi, Andreæ Lacunæ, Petro Joan-
ni Nunnesio, Francisco Turriano, Joanni Ca-
ramueli, Nicolao Antonio. Vix suffero anhe-
litum.

Plurimos consultò prætero, ne nimis fas-
tidiosus nomenclator appaream, cùmque vide-
rim, quem nuper laudavi, Nicolaum Anto-
nium (nosti viri eruditissimi acumen, nosti in-
genium totius Europæ Regionibus celebratum)
unius sæculi Hispanos Scriptores sub indicem
redigere tentantem, ne quidem duobus inge-
tibus voluminibus id assequi potuisse. Quid si
bis temporibus natus esset? Deus bone, quot;
quantosque novimus Musarum omnium cory-
phæos, qui nuper abierunt hinc in communem
locum! Taceo eruditissimos Aguirrem Cardi-

na-

nalem, Villarroelem Benedictini Ordinis mican-
tia sydera. Adhuc pænè vix conclamatos luge-
mus Academiæ nostræ bonarum literarum de-
litias, Felicem Palacios, Joannem de Aya-
la, Michaelem Perezium, Joannem de Haro,
Carolum Elizondum, ut plurium nunc super-
stutum verecundiæ parciam.

Unde hæc ergo in Hispanos toties objecta
barbaries? Unde hæc invidiosa calamitas? At,
at, at! hoc illud est, nimirum, quod viderint
ex nostris aliquos non ita eruditioñis sollicitos,
non puri sermonis diligentes, vernaculis ferè
vocabus in Theologia, utrōque Jure, Medi-
cina, & Philosophia incuriosè nimis, atque ame-
thodice scribentes. Atqui, si qui sunt hi, idip-
sum ab exteris didicere, apud quos Græci ser-
monis, bonarumque literarum ignoratione,
quam diù serpere diximus, artes omnes ab ori-
gine sua prorsùs aberrare, ac nihil nisi som-
niis, deliriisque involutas jacere nemo non vi-
det. Quid enim sperari poterat ab hominibus
adeò Græcológiā callentibus, ut pro ἈΝΤΙΧΡΗ-
ΣΙΣ legerent *Antiphona*, pro ἈΠΟΘΕΩΣΙΣ *Hypothe-
ca*? Dum alii sanioris cerebri, ut sæpissimè Ac-
cursius, dum in similia incidenter, *Græcum est*,
non legitur, proferrent? Quid quod Bartholus,
quique eum more pecudum insequuti sunt, ih-

H

ea erant hæresi , ut omnes Jurisconsultos trecentis ante Christum natum annis floruisse existimarent ? Sed & quod longè turpius est , quot Latinæ linguæ imperitiâ lapsus in veterum exterorum scriptis animadvertisimus ! Cujus tam crebra suppetunt exempla , ut qui ad eos legendos animum appulerit , non tam Latinè , quam Theutonicè (verba sunt Gravinae) eos loquutos sibi persuadeat . Nec mirum , cum in ea tempora incidissent , sub ea gente nati essent , ubi si Alciato credimus (in procœm . 3 . tom .) quasi apophthegma Delphicum à Doctoribus sui sæculi jactaretur : *Latini , Græcique sermonis diligentiam , bonarumque literarum culturam non inutilem modò , sed sanè noxiam ad Jurisprudentiam imbibendam esse.* Cui satis adstipulatur vetus quoddam Epitaphion , quo rudis illius ætatis boniviri Manibus cuiusdam Philosophiæ Magistri parentabant :

*Hic jacet Magister noster ,
Qui disputavit bis , aut ter
In Barbara , & Celarem
(Ita ut omnes admirarent)
In Phapesmo , & Frisesomorum :
Orate pro animas eorum .*

His moribus imbuti exteri , homines aliqui ingeniosissimi , famâ doctrinæ Hispaniam traherant .

jecți , quas incorruptas servabamus artes , assidue , ut solet , commercio aliquantulum apud incautos deturparunt . Atque in dies hæc pestis grassaretur , ni eruditio perpetui assertores Hispani scientiis ab erroribus defæcandis serio invigilarent . Non modò enim , ut diximus , servarunt incorruptas , sed barbarie fæce inquinatas in pristinum nitorem asseruerunt .

Hinc primum cùm veræ Philosophiæ turbatis fontibus , sui ipsius oblitus Aristoteles nihil nisi monstra , anilesque fabellas exterorum ineptiis loqueretur , quis aptius Genesio Sepulveda Cordubensi Stagiritam Philosophum è commentariorum nævis vindicavit , sibique ipsum restituit ? Nonne hujus Philosophi dogma non sine reipublicæ literariæ pernicie (quidquid ex adverso rerum novarum cupidi consarciant) procul à Galliæ , Italiae , Germaniæ finibus exularent Petri Rami , aliorumque calumniantium deliriis , ni Goveani nostri apologia eruditissima , ceu Phæbus tenebras , istiusmodi araneas ad Acherontem adegisset ?

Quinam prius Theologiam Scholasticam Dialecticis tricis irretitam , ac pænè puerilibus quæstiunculis implicatam longè à veterum Patrum doctrina , Divique Thomæ mente aberrantem in primævam asseruere majestatem ante



nostros Hispanos Victoriam , Suarezium , Caf-
trium , Vasquium , Molinam , Valentiam , Lu-
gum , Ruizum , Granadum , Vegam , Medi-
nam , Aragonium , Pontium Leonum , Corne-
jum , Melchiorem denique Canum , à quo edi-
to libro de Locis Theologicis , non modò ve-
ra germánaque refloruit Theologia , sed Latinus
ipsa fari cœpit , Mabillone testante , *de studiis*
Monastic. p. 2. cap. 6.

Jurisprudentiam Romanam miserè exter-
rum scriptis deturpatam nonne primus ante Al-
ciatum , & Politianum , Fortunius noster Garcia
suavissimo puræ Latinitatis stilo , bonarum lite-
rarum adhibita cultura , è barbarorum injuriis
vindicavit ? Quæ sanitas Gratiani Decretis , quæ-
nam legibus Romanorum integritas esset , ni his
emendandis , ac restituendis toto animi nisu
Antonius Augustinus Cæsaraugustanus incu-
buisset ? Quid purius , quid eloquentius ad Jus
interpretandum desideres post Antonii Goveani
scripta , cui Juris Civilis palmam unicè deferen-
dam ipse censuit Cujacius ? Nec Goveano inferio-
res æstimabis nostræ Academiz Themidis alum-
nos , quos verè amavit cohors Heliconia , Dida-
cum Covarrubias , Emmanuel Acosta , Janum
Parladorium , Antonium Pichardo , Melchiorem
de Valéntia , Ariam de Mesa , Joannem Solorza-

no , Ramos del Manzano , Franciscum de Amaya ;
Josephum de Retes , Joannem de Puga , ut plu-
rimos silentio premam temporis angustia pressus .

Medicina denique (quam olim exteros à no-
bis didicisse , ac mutuasse diximus) jam pænè ad
languorem tot erroribus adacta , Hispanis nos-
tris accepto fert sanitatem . A divino namque
Vallesio accepit methodum , eloquentiam , La-
tinitatem : ut crediderim , vel hoc uno facun-
dissimo professore , artem hanc Apollineam dici
debuisse . A Christophoro Oroscio Salmantino
etuditissimo , limpidissimis Græcorum fontibus
haustis , è plurimis Interpretum erroribus , inep-
tiisque purgata mansit . Unde incorruptum Ga-
lenum , aut Dioscoridem stirpium scriptorem ,
restitutum haberemus , ni his illustrandis mag-
ni Lacunæ fax accessisset ? Chymicam instaura-
tam Laurentio Gozari , Anatomiam Petro Ef-
teve , Valentinis , trium linguarum , & Mathe-
maticarum peritissimis debemus .

Quid plura ? Grammaticam ipsam Lauren-
tii Vallæ , ejusque asseclarum farragine inquina-
tam , à nostris Brocensi , Vivesio , & Nebrissen-
si accepimus incorruptam : ut qui , sine his , inep-
tiissimi Valhæ vestigia premens , puri sermonis ni-
torem assequi velit , non magis obtineat , quàm
si Herculi elayam , aut fulmen Jovi conterere



tentet. Quam belliè! quam aptè ad hæc nostra, Sanctius ipse Brocensis cùm Minervam suam Academiæ Salmantinæ dicaret! ita enim eam alloquitur: *Et cum pestis barbariei pñè totum orbem occuparit, tu sola hac nota inúneris, & innocens apud exterros accusaris, quasi ullam possimus Academiam reperire, ubi vera, puraèque Latinitatis in-dagatrix Grammatica, doceatur. Quotus enim quisque est Grammatices Praeceptor, qui Laurentium Vallam, & eum sequitos non laudet, veneretur, exos-culetur? Hinc licebit conjectari, quales fuisse opor-teat rivulos, qui ex tam cœnoso, turbidòque fonte de-fluxerunt.* Viden corruptæ Latinitatis principia ab ipsis exteris derivata? Ast quænam sit adhi-benda medela, ipsum Broensem ibi adhuc lo-quentem audiamus: *Nunc tu, mater, huic tanto malo facile mederi poteris, si è Cathedris tuis Pri-mariis Laurentio deturbato, Minervam, quæ tibi offertur, patiaris pro illo pueris explicari.* Ne tamen suspectæ fidei testis in re propria Broensis vi-deatur, adito, si lubet, Sciopium, qui non aliam barbarici Hispanicæ causam adfert, quæm, quod tot eloquentiæ thesauris domesticis affluentes, alibi frustrè flagitemus opes.

Habes mi Jane, quæ de literatum fato in nostra Hispania, cæterisque Europæ regio-nibus tecum differere constitueram. Nonnulla

hic

hic annexi poterant de plagiariis librorum, his nimirum, qui nostris assutis plumis (cujus non unum habemus exemplum) non modò temerè sibi plaudant, sed adhuc nos lacestant, atque impudentissimè irrideant. Ah! Si singula quæque suis sedibus rursùs collocarentur, plurimos Gallos (ut Plautina sunt verba) quantum volsi Lü-dii sunt, credo, glabriores remansuros. Sed jam nimis blateravi. Et longius meherclè quæm opta-rem, breviùs tamen, quæm rei dignitas postu-labat, excurrit calamus. Saxum erat hoc qui-dem robustioribus humeris versandum: nam ut vetus est verbum. ΡΑΔΙΟΝ ἢ ΓΑΡ ΠΟΛΙΝ ΣΕΙΣΑΙ καὶ ΦΑΤΛΑΤΕΡΟΙΣ Αλλέπεις ΕΠΙ ΧΩΡΑΣ ΑΥΘΙΣ ΕΣΣΑΙ ΔΥΣ-ΠΑΛΕΣ. Facile est quidem urbem concutere etiam im-becillioribus; sed in sedem suam rursùs collocare dif-ficile. Vale. Ex Musæo nostro XI. Kal. Septemb.

ERUDITISSIMO J. C. JOANNI DE
Miranda suus Joannes Cidius. S.

ETSI mihi satis sim conscientius, Joannes fa-cundissime, quot te impediant curæ, quot rerum sollicitudines, ut ni sibi obstant ipsæ, jani diù de tuo egissent capite; tamen cum mihi nihil umquam fuerit antiquius, quæm aut te præsentem, quò magis discam, aut si mi-nus



nus id possim, saltum per litteras absentem alloqui, has statui conscribere, ut mihi ipsi aliquando morem gerarem, utque datam adimplerem fidem (ne aliter Græcam meritò indigantes) graphicè depingendi fontem mineralē, quò me valetudinis tuendæ, ac reficiendæ causa contuleram, cujusque beneficio, quod firmiori sim corpore accepto ferendum puto, de quo magnas Deo gratias habeo, atque ago.

Est ejus natalis locus sub Tamamiensi editione, rustico Municipio quod XXX. fermè passuum millibus à Salmantica distat, quà Meridiem inter Orientemque respicimus: Oppidum sanè non ignobile, & vicinorum copia, & fructuum ubertate. Abundat námque frumento, lino, pacuis, leguminibus, pomiferisque arboribus. Bovum quòque, porcorum, aviumque mansuetarum, siquod aliud, feracissimum. Ipsius situs alnetorum sepibus, fontium, sylvarum, camporumque prospectu commendabilis. Ast non eo tamen omnibus absolutum numeris existimes: nám præter Incolarum malignam indolem, ac rusticam versutiam, ob montium, quibus subest, propinquitatem spississimis nubibus obtigitur, assiduisque tonitribus vexatur. Aér præterea liquorum maceratione, olerum quisquiliis, leguminumque putredine corruptissimus, qui ob lo-

ci planitiem, circumjectosque colles, quibus ei aditus, ac exitus intercluditur, redditur impior. His accedit humiditas soli nimia perennium aquarum venis perpetuò residantis: ut haud facile typum alibi invenias, cui tanta fontium ubertate indulserit natura. Omnes tamen crudissimæ temperiei, si nostrum exceperis Minerale, qui duobus milliaribus ab oppido distans, per subterraneos meatus guttatum ex silice erumpit obstetricie natura: adeò tamen perennis, ut ex eo non homines tantum, sed ipsa quoque armenta, & greges hauriant, prætaque bibant. A Septentrione quò respicit, arva, camposque amoenissimos habet, ab Oriente sylvam in ingens spatium diffusam: à Meridie autem & Occasu collibus, & Municipio circundatur.

Ast ne humi jacens, saxique nativi scrobibus absconditus hominum conspectum effugeret, sulphurei, quos emitit vapores, illac itinerantium nares continuò tangunt; prospiciens autem, & gustans, nihil nisi diaphanum cum nativa frigiditate percipies. Unde eorum error deprehenditur, qui has aquas acidulas quasi vitriolo imprægnatas, à quo nihil magis distant, confinxere. Sed minus alii ferendi Medicastri, qui nuda textuum cortice muniti novis experimentis, sensibusque ipsis bella gerentes, aut Minerales



prorsus esse negant , aut ex sulphure tantum constare ex suo inducunt cerebro. Verum si chymica non fallunt instrumenta , effectibus comprobata , minus sulphuris habent , quam nitri & Martis , quibus maximè abundant. Quare mucum primarum viarum resolvunt , sitim compescunt , ciborum nauseam tollunt , alvum laxant , urinam movent , stomachum reficiunt. Hinc nephriticis , & qui obstrusis humoribus laborant , aut mucorum fôrdibus vexantur , sacram meritò anchoram putaveris ; è contra vero pthisicis , hydropicis , aut qui nimia siccitate languescunt , nihil posset acerbius inveniri : ut eorum derideas insipientiam , qui , velut par impar ludentes , omnibusferè morbis aquas in medelam adhibent. Huic malo cau-
sam præbere censeo , quod cum obstrusis humoribus expellendis quam sint proficuæ jam constet , Medici quas minus callent morbificas cau-
fas cœtui obstructionum adscribunt , quæ , si credimus Etmullero , sunt nihil aliud quam *Asylum ignorantiae Medicorum*. Deus te ab eorum mani-
bus diu incolumem sospitet. **Ex Musæo nostro.**

X. Kalendas Octobris,

JOANNES

JOANNES DE MIRANDA JOANNI CIDIO
S. P.



IU erat , Joannes charissime , quod de salute tua anxiè , perplexèque curabam : subaudieram quippè , nescio quo rerum adversarum malignissimo Mercurio , tibi Tamamien-
sium aquarum potu , quo præcipue recuperan-
dæ saluti utebaris , ventrem omnino fluxisse ; ni
præproperè caveretur , intestina omnia corrup-
tum iri. Sciscitanti , ecquid certi res haberet , ni-
hil planè certius asserebatur , præterquam uno
velut amentium ore , in oppidulum , in aquam ,
in usum , in regionem denique convitia atque
diæteria. Ast ego hominum vesaniâ percitus , pa-
rum abfuit quin pullatus quoque tuo parando
funeri & incederem , & porro pergerem : do-
nec alio scenæ motu , omnia fausta , prospera ,
felicia & evenisse , & eventura semper ab illis
ipsis , qui antea una tabella superiora omnia pro-
scripsere , & audivi , & mecum ipse plausi , risi .
Sed ne in vanissimam fortè spem erectus , qui
antea pullatus , nunc purpuratus fierem populi
Proteus , te unum partæ salutis nuntium literis
ad te datis compellare parabam , cum adfuit à
te missus Rivas noster , qui literis tuis jucundis-

Iz



simis rem omnem aperuit, ac curā, qua ange-
bar exolvit; ex his enim, & te salvum post tot
hominum variantes sententias advenisse, lætiore
ānimo intellexi, & qua demum ratione factum
fit, ut de aquis Tamamiensibus tot contraria,
atque incredibilia jactarentur, planè deprehendi.
Ea quippe perspicuitate non minus quam solidi-
tate de aquis ipsis, earum qualitatibus, tum
quoque vi à natura insita (mitto speciosissimam
topographiam, qua non parum delectatus sum)
differis, ut te jam Jurisconsulti suggestum exo-
sum, Physicorum scabella appetere videam: at-
que, quæ una erat tot diversarum opinionum,
causam sedasse.

Et quidem miram aquarum, fontiumque;
earum, præcipue, quæ sanandis morbis aptissimæ
reperiuntur, & in dies reperiri possunt, varie-
tatem numero comprehendere, vel inde appa-
ret difficilimum, quod nec adeò patent earum,
quas è glebis ipsis subterraneisque meatibus, con-
trahunt qualitates, nec si maximè aliquarum,
aut omnium simplici qualitate gaudentium appa-
reret causa, ad numerum quæ mixtæ inde pos-
sunt exurgere, contrahi possent. Cum enim vim
illam, seu, si mavis, virtutem salutiferam non
aliunde habeant, quam è spiritibus, salibus,
particulis, ac sæpe metallorum ramentis, quas

se-

secum dum per abditos terræ canales iter insti-
tuunt, auferunt, consequens erit tot aquarum
diversas, simplicesque qualitates existere, quo-
quot sunt in terræ recessibus medendis infir-
mitatibus materiæ. Hinc quia gustu, odore, quin-
imò tactu, atque experimentis clarius se produnt
sal, nitrum, alum, & id genus alia, medi-
catis aquis duodecimum statuit numerum Kirke-
rius. Salsas aut esse nitrosas, aluminosas, vitrio-
latas, sulphuratas, æruginosas, calceofas, gyp-
sosas, metallicas, bituminosas, Mercurio infec-
tas, ferratas, ac demum lapidescentes statuens:
quasi tot in interioribus Geocosmi partibus sint
tantum materiæ, quæ in aquis ipsis salutiferis,
prout illis abundaverint, qualitates diffundant.
Quod si nullæ aliæ sunt (de hoc enim Deus vi-
derit) jam primum constat, tot aquarum gene-
ra mixtis qualitatibus inveniri posse, quot inter
se combinatæ duodecim eæ materiæ producunt
scilicet 479001600. ut planè non mirer, si post
iteratam Physicorum observationem, nihil am-
plius circa aquarum qualitates statuant, præter
id ipsum, quod à posteriori, atque ab effectu
colligunt. Inter diffusissimam hanc aquarum co-
piam, divinum esset, materiarum mixturam
digo demonstrare. At non ideo magis provin-
ciam humano generi maximè proficuam desere-
re

re debent. Unum meminerim sui Hippocratis eloquium. Oportere, Medicum aquarum qualitates non minus, quam temporis agnoscere vicissitudines: quem admodum enim gustu, odore, tactu, ita & virtutibus differre certum est. Quod si serio, ac ut oportebat, factum esset, tum quoque tam absurdia, tamque in publicam perniciem fortasse excogitata de Tamamiensibus aquis minimè effutirentur, nec earum qualitatis indagatio homini Jurisconsulto, ac salutem in ipsis aquis quærenti, esset relicta. Planè ob id ipsum & tibi gratulor, & vel unus solus gaudeo, quia primus sollertiae paucarum diecularum observatione instituta, quæcumque his aquis inter Chymicorum operationes patuerunt, & ad nos detulisti, ut publicæ instructioni profutura reserasti. Tecum unà libenter sentio, aquarum Tamamiensium vim admirabilem ex admixtis, iisque ex abstrusis terræ ergasteriis, abrasis, abductisque Martis, nitri, ac sulphuris particulis maximè constare. Nam & hæc omnia & ad sensum patent, & instituta evaporatione manifestissima comperiuntur, si vel sulphur excipias, quod inter ipsam dissipari necessum est propter ipsius spirituum tenuitatem. Hinc certè de obstruendis viis aptissime, quæcumque fæcum, aut urinarum expulsioni servient, conjicere licet, nam & ferrum, (Mar-

tem

tem Chymici appellant proprio asterismo ^δ) hoc habet ut & ictericis, ac melancholicis medetur, & de obstruendo spleni, lienique ac mesenterio sit aptissimus. De Nitro patere ajunt vim diureticam, incisivam ac resolutivam, hincque & sitim sedare, provocare urinam, putredini maximè resistere, & inter alia renum calculos extrudere. Quibus admixtum sulphur disfidentis certè naturæ id tantum efficiet, ut certè suo fervore cætera impura cóncoquat. Sed hæc omnia an ita sint, Medicorum judicium esto. Nobis quidem, gravioribus intentis rebus, Physicianum culinas habitare haec tenus liceat, ne assidue refractione nidorem contrahamus. De Joanne nostro nihil adhuc habeo. Sanctii nostri in lucem brevi proditura, & querere, & ad limam revocare conjicio. Et, ò Salmantini honoris assertorem, si apud nos tandem aliquando regnaret! Interea salute parta diutiùs utitor. Ex Musæo nostro V. Kal. Octobr. 1735.

JOAN



JOANNI CIDIO JURISCONSULTO
*diligentissimo Joannes Gonsalius Humaniorum
 literarum Magister S. P.*



IS domum tuam adii, Joannes op-
 tatisime, nec mihi tuī videndi co-
 pia facta, cum te jam pridem non
 videndi modo, sed coram etiam
 alloquendi non mediocri discrucier
 desiderio. Audivi enim te non multos antè dies,
 parum firmum cum patruo non rectè valente
 (quod non levi dolore meum perculsit animum)
 hinc ad Tamamienses aquas concessisse, illas,
 quæ universo morborum generi facile (si supe-
 ris placet) auxiliatrices esse perhibentur. Vobis
 autem ut expetito auxilio percommodissimæ fue-
 rint, scis, quam ardenter exoptem.

De restituta valetudine tua non obscuras
 nobis adsunt argumenta, cum vix domum re-
 versus jam statim foras exsurrexeris; sed hoc ado-
 lessentiæ tuæ acceptum referendum existimo.
 Non tamen sic in patruo accidisse conjicio, quem
 & perpetuæ lucubrations, & annosa podagra,
 senibus inimica confregerint, & tantum non per-
 petuo addixerint lecto. Faxit D. O. M. ut illo &
 vegeto & firmo nobis diù frui liceat. Hoc assi-
 duis precibus à Domino deprecamur.

Nunc

Nunc scias velim, me, interim dum tu
 aberas, convenisse Mirandam tuum, imò nos-
 trum (ni mavis omnium:) illum dico Joannem
 Mirandam (O quem do!) virum apprime nobi-
 lem, omnigena probitate clarum, virtute pru-
 dentiæ præstantissimum, omnibus sapientiæ do-
 tibus cumulatissimum; qui, nequid in homine
 numeris omnibus absoluto (utpote ad omnia na-
 to) desiderare queas, præter summam legum pe-
 ritiam, quas omnium laude felicissimè profite-
 tur; in exhaurienda ex historicis chartis, vete-
 rūmque monumentis expetibili fide, omnibus
 fere pilam præripit: qui Latini sermonis uberta-
 tem Græca condire suavitate consuevit: qui de-
 niique totius ΜΑΘΗΣΕΟΣ ΕΓΚΥΛΟΠΑΙΔΕΙΑΝ com-
 plexus est. Phrygionicam mitto, quam Pallas
 ipsa miretur, & (si fas dicere) invideat.

Ab hoc tanto viro, quem impensè diligi-
 mus, & te amari, & scripta tua probari scio.
 Ipso etiam hortatore, illius decantati Tamamien-
 sis fontis cultissimam descriptionem (ancenissi-
 mam videlicet *topographiam*, & *hypotypōsm*) te sus-
 cepisse cognovi. Hypotypōsin dixi: utpote, in
 qua locus ille vel ipsis caligantium oculis obver-
 sari videatur. Quis non illam summis laudibus
 extollat? Quid epistolas tuas, ad ipsum datas
 commemorem, omnis eruditionis, & antiquita-

K

tis



tis refertas? quid illam, quâ Nostratum eruditonem sartam tectam reddis, Apológiām facundissimam? quid alia multa, quæ publicâ luce dignissima, privatos lares relinquere ges- tiunt?

Omnia sanè scripta tua, quæ vidi, Latina & pura sunt; tum verò elegantem quamdam præ se indolem ferentia, eleborata, inelaboratísque similia: hoc est, ita latenter, ita dissimulanter culta, ut in eis se forma, non cultus ostendat. Horum stylus facilis, idem, profluens, numerosus, non anxiè, non molestè diligens, magisque similis negligenti; sed ita tamen, ut eo pacto plus Veneris habeat: *Qualis Apelleis est color in tabulis.* Quid igitur mirum, si nostrum quoque, sicuti Latonæ, tacitum pertentent gaudia pectus, cùm tales prodíisse discipulos è ludo nostro video, quales fortassè jam nec magistros asperner? Perge igitur, macte virtute juvenis: quaque doctrinæ, & eloquentiâ plurimum vales, & patrium, & Latinum sermonem ditare ne differ. Vale.

Ex nostro Musæo VIII. Kal. Octob.

JOAN-

JOANNEM GONZALEZ DE DIOS
charissimum, Humanarum Musarum cultorem
primarium, Joannes de Miranda
J. C. S. I.



AM quo te nomine appellem (Joannes scitissime) qui unâ solâ, eâque sat modica epistolâ ad Cidium nostrum data, ruborem adeò provocasti, ut quibus, præter fulvum, perpetuūmque pallorem cætera omnia invidit natura, mira metamorphosi ora ferrè nostra redderes purpurata? Ast ego, etsi te omnium horarum hominem habebam, nihilo magis credidi, usque adeò primariam exuisse gravitatem, qui quandôque non facetè modò, sed & scurriliter quoque jocareris. Scilicet in hoc tamdiù tacuisti, ut cum primùm loquentem adspiceremus, tum etiam & aut à te fugere, aut ferrè deliram encomiorum tempestatem impare virtute portare necessum esset? Profectò si is ego essem, quem tu ut sim, omnibus imponere & velle videris, & sentire affectas; ò, fortunatum sæculum! ò me, etsi tot adversis fortunæ casibus lacestitum, tot ærumnis, animique angoribus conquassatum, præ omnibus fælicissimum! Non sapientem hominem, humana quæ sunt,

K₂



licet gravissima , turbant: non iratum fortunæ
vultum formidat: non ipsam cœco impetu ma-
lorum tela quatientem horret : sua ipsa tranquil-
litate , veluti animatus quidam Olympus , adver-
sorum casuum nubeculas , superiore mentis api-
ce spernit , subque se positos placidè contempla-
tur. Hi sunt certè sapientis viri propriissimi ca-
racteres. Quem ego justam hanc mensuram non
implere videam , eum ego non sapientem mo-
dò , sed ne sapientiæ quidem phantasma judi-
cem: ut vel inde conjicias , eò magis à meis te
laudibus abstinere oportuisse , quò certius , quàm
inter meorum malorum procellas , sapientem mi-
nimè & egisse , & agere , compertum habes. Par-
ce ergò ; & nisi parentalem majorum nostrorum
more homini nihil moranti sepulcrum , præpa-
ras orationem , meis laudibus abstineto ; atque
æquam (ut par est) dulcissimo stylo tuo subde
materiam. Non Livius tuus , non Cicero divi-
nam utrorumque facundiam inter arbusta , humi-
lésque myricas consumpsere , qui si nihilo minus
& dicendo & scribendo potes , & illorum vesti-
gia sequere , & nobis imitanda propone. Vale.
Ex Musæo nostro III. Kal. Octob.

JOAN.

JOANNI DE MIRANDA JURISCONSULTO
sollertissimo Joannes Gonzalez de Dios
salutem plurimam impertitur.



CCEPI nuper , Joannes facundissi-
me , elegantem abs te epistolam ,
doctam , copiosam , gravem , sum-
mo artificio conscriptam , summo
ingenio : qua virtutis , probitatis ,
eruditionis , ingenii tui profectas , ut meritus es ,
à nobis in te laudes , pro tua singulari modeſ-
tia , quasi per jocum à nobis effusas profiteris ,
& tantùm non mera deliramenta , meras nugas
appellas. Hæc tu peregrinis , si fortè verbis tuis
fidem habere velint , obtrudere conator. Ego ve-
rò , mi Joannes , qui te (ut cum Persio loquar)
intus , & *in cute novi* : cum tuas ingentes dotes
diligenter pensitaverim , non potui non & mi-
rari , & probare : coactusque sum & ingenium
tuum suspicere , & doctrinam singularem tuam ,
quibus potuerim laudibus ornare. Cave autem
existimes , me tibi nunc etiam his laudibus af-
sentari. Testor enim meum in te animum , &
fidem , nihil me aliud scribere , quam quod me
sentire fas est ; atque omnem gloriam , quanta-
cunque ea sit , virtuti tuæ inferiorem existima-
re. Neque ego ea de te ipso nunc ad te scribe-

rc



re auderem , quæ apud Cidium nostrum , inscio te , sum professus , nisi splendor ipse nominis tui , cunctisque nota morum excellentia mihi ex intimo corde , ex ore , è calamo quasi jure suo extorsissent.

Quod autem ais (si licet cum Venusino dicere) : *Sapientem hominem , non ardor civium , prava jubentium , non vultus instantis tyranni mente quatit solida , neque Auster dux inquieti turbidus Adriæ , nec fulminantis magna Jovis manus , tanquam de Tripode dictum accipio.* Verum nec aliunde accipiendum illud , quod de Socrate Philosophorum parente , & principe sapientissimo vulgavit Ovidius , dum sua ipsius mala , calamitates , ærumnas , adversos casus inexplebili dolore commemorat ; quæ omnia , si tuis conferre quis velit , inveniat fortasse non minora. Ergo de Socrate sic Naso :

*Ille senex dictus sapiens ab Apolline , nullum
Ducere in hoc casu sustinuisse opus.*

En sapientem , en præterea senem ; in quam tam animi ægritudinem redactum : dum molestissimam Xantippen , dum Anytum divitem , sibi infensissimum ad necem usque , dum ipsos denique judices , quos , ad supplicium cum duceretur innocentiae suæ admonuit (ne tunc quidem non docere sustinens) iratos , & inimicissi-

mos

mos expertus est. Mitto ipsum Ovidium , qui pænè totus est in questibus , nec ideo à numero sapientum avocandus.

Ergo Joannes eruditissime , quando tua te bona cognita produnt , nil ego peccavi. Sane ego te non tam depinxi , quam adumbravi ; *Quis enim Martem tunica tectum adamántinâ dignè scripserit ? aut ope Palladis Tydîdem superis parem ?* Tenenda est igitur nobis mordicus sententia lata , quam neinimem non probaturum spero.

Et , quoniam meriti tanti sum laudibus impar ,

*Ne pergam culpâ deterere ingenii :
Has aliis mando , tua qui præconia latè ,*

Et miras dotes , ore tonante canant.

Vale. Ex Musæo nostro pridie Kal. Octobr.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagina 2. linea 5. sicuti , lege sic uti.

pag. 8. lin. 7. grandibus , lege glandibus. Ead. pag. lin. 19. lenguæ , lege linguæ.

pag. 20. lin. 23. se , lege sed.

pag. 25. lin. 19. quodam , lege quadam.

pag. 28. lin. 11. clisteria , lege clysteria.

pag. 32. lin. 10. nonné , lege nónne.

pag. 35. lin. 21. studio , lege studia.

pag. 37. lin. 15. ægregium , lege egregium.

pag. 42. lin. 27. aio , lege aliunde.

pag. 44. lin. 5. chimicaèque , lege chymicaèque , & lin. 6. & 14. & 21. pro chym.... lege chym....

pag. 59. lin. 21. Phæbus , lege Phœbus.

pag. 62. lin. 13. Viden , lege Viden?

FINIS.

1970
Mapa del Distrito de Salamanca
en su actual configuración

Este mapa muestra el distrito de Salamanca en su actual configuración, dividido en 10 barrios: Centro, Casco Antiguo, La Alamedilla, La Alberca, La Cebada, La Cistérniga, La Encarnación, La Florida, La Magdalena y La Peña. Los límites de los barrios están marcados por líneas discontinuas.

Este mapa muestra el distrito de Salamanca en su actual configuración, dividido en 10 barrios: Centro, Casco Antiguo, La Alamedilla, La Alberca, La Cebada, La Cistérniga, La Encarnación, La Florida, La Magdalena y La Peña. Los límites de los barrios están marcados por líneas discontinuas.

Este mapa muestra el distrito de Salamanca en su actual configuración, dividido en 10 barrios: Centro, Casco Antiguo, La Alamedilla, La Alberca, La Cebada, La Cistérniga, La Encarnación, La Florida, La Magdalena y La Peña. Los límites de los barrios están marcados por líneas discontinuas.

Este mapa muestra el distrito de Salamanca en su actual configuración, dividido en 10 barrios: Centro, Casco Antiguo, La Alamedilla, La Alberca, La Cebada, La Cistérniga, La Encarnación, La Florida, La Magdalena y La Peña. Los límites de los barrios están marcados por líneas discontinuas.

Este mapa muestra el distrito de Salamanca en su actual configuración, dividido en 10 barrios: Centro, Casco Antiguo, La Alamedilla, La Alberca, La Cebada, La Cistérniga, La Encarnación, La Florida, La Magdalena y La Peña. Los límites de los barrios están marcados por líneas discontinuas.

